

18

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

19

I. FÖGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

CONRADUS CELTIS PROTUCIUS

QUATTUOR LIBRI AMORUM
SECUNDUM QUATTUOR LATERA GERMANIAE

GERMANIA GENERALIS

ACCEDUNT CARMINA ALIORUM AD LIBROS AMORUM PERTINENTIA

EDIDIT
FELICITAS PINDTER

MCMXXXIV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÖGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

CONRADUS CELTIS PROTUCIUS

QUATTUOR LIBRI AMORUM
SECUNDUM QUATTUOR LATERA GERMANIAE

GERMANIA GENERALIS

ACCEDUNT CARMINA ALIORUM AD LIBROS AMORUM PERTINENTIA

EDIDIT
FELICITAS PINDTER

MCMXXXIV — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Iq. kot.

114.956



INTRODUCTIO.

I. De vita et scriptis Conradi Celtis Protucii.

Vita. Conradus Celtis Protucius Calendis Februariis anni 1459. e pago Wipfeld prope Herbipolim in Francia ortus est. A patre ad vineae culturam destinatus, sed primis elementis a propinquo quodam clerico institutus tanto bonarum artium amore correptus est, ut adulescentulus domum patriam effugeret gymnasium Coloniae Agrippinae aditurus. Ibi aliquamdiu artibus liberalibus et theologiae deditus in baccalaureatus gradum anno 1479. evectus est.¹ Deinde per Germaniam peregrinantem fama celeberrimi professoris Rudolphi Agricolae eiusque fautoris Ioannis de Dalberg praesulis Vormatiensis maximi litterarum patroni Heidelbergam adduxit, ubi studiis humanitatis totum se dedit. Postquam die 20. mensis Octobris 1485. magister artium promotus est,² Rudolfo Agricola mortuo Celtis iterum peregrinari ac Germaniae regiones gentesque perquirere coepit. Cum Erfordiae et Lipsiae vitam ageret, prima opera eius typis excusa habemus: *Artem versificandi et carminum*, item editionem duarum tragoediarum Senecae. In Saxonia Fridericum III. electorem fautorem sibi conciliavit, quo adiutore die 18. mensis Aprilis 1487. in arce Norimbergensi a Friderico III. imperatore primus inter Germanos poetica lauru coronatus est, cui pro illo honore in opusculo, quod *Proseuticum* ad divum Fridericum tertium pro laurea Apollinari inscribitur, gratias egit. Paulo post in Italiam profectus est clarissimos philosophos Patavii, Ferrariae, Bononiae, Florentiae, Venetiis, Romae auditum. Per Hungariam rediens Cracoviam petiit, ubi duos annos praesertim mathematicis et astronomicis studiis se dedit. Deinde per Vratislaviam et Pragam in Germaniam meridiionalem reversus est et exeunte anno 1491. vel ineunte proximo in gymnasio Ingolstadensi docere coepit. Primum familiaritate doctorum humanorumque virorum usus Academiam Platoniam ad bonas litteras curandas, uti Florentiae et Romae cognoverat, condere volebat, sed mox variis aerumnis affectus oppidum et lecturam odiosam putabat, idcirco saepe peregrinationibus lectiones interrompebat; plerumque Norimbergam et Ratisponam et Rhenum et Austriam adiit, Ioannem Trithemium abbatem Spanheimensem visitavit, aestate anni 1495. pestem tunc Ingolstadii grassantem fugiens semestrem Heidelbergae habitavit et alibi moratus est. His annis complures elegias Amorum esse scriptas putamus; iam anno 1494. Ioan-

¹ H. Keussen, *Die Matrikel der Universität Köln*, T. II, Bonn 1919. p. 48. (Publikationen der Gesellschaft für Rheinische Geschichtskunde VIII.)

² G. Toepke, *Die Matrikel der Universität Heidelberg*, P. I. Heidelberg 1884, p. 377 P. II. Heidelberg 1886, p. 416.

nes Trithemius in opere, quod Catalogus scriptorum ecclesiasticorum inscribitur, inter alia Conradi Celtis opera Amorum, qui secundum quatuor latera Germaniae inscribuntur, libros quattuor memorat.³ Quamquam amici epistolis editionem elegiarum flagitabant,⁴ poeta tamen annis sequentibus iterum atque iterum elegias et emendationibus limabat et novis versibus augebat. Anno 1497. Celtis Ingolstadenses relinquens universitatem Viennensem a Maximiliano I. imperatore vocatus petiit. Hic vagus poeta lutum portum nactus usque ad mortem maximo cum honore iuvenes docuit, praesertim cum anno 1501. collegio poetarum et mathematicorum a Caesare praepositus est. Anno proximo Norimbergae libros Amorum una cum aliis operibus (Germania Generali, Norimberga, Vita S. Sebaldi et aliis) imprimendos curavit. Aegritudine ac praematura senecta fractus pridie Nonis Februarii anni 1508. Viennae in bursa S. Annae diem supremum obiit. In sepulchrali saxo in caemeterio S. Stephani erecto infra effigiem suam ut testimonium vatis immortalis hoc tantum scribi iusserat : Vivo.

Scripta. Ars versificandi et carminum. (1486.) — Editio duarum tragoediarum Senecae, sc. Herculis furentis et Coenae Thyestis. (1487.) — Proseuticum ad divum Fridericum tertium pro laurea Apollinari. (1487.) — Epitoma in utramque Ciceronis rhetoricam cum arte memorativa et modo epistolandi utilissimo. (1492.) — Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata cum Panegyri ad duces Bavariae et aliis carminibus. (1492.)⁵ — Altera editio Artis versificandi et carminum. (1494. ?) — Carmen cuius titulus Vita S. Sebaldi. (1495.) — Editio operis Apulei De Mundo. (1497.) — Epigrammata titulo Oeconomiae collecta. (1499/1500.) — Propositiones Nicolai Cusae De li non aliud. — Carmen saeculare. (1500.) — Septenaria sodalitas litteraria Germaniae. — Minora carmina Ausonii. (1500.) — Editio Germaniae Taciti. (1500.) — Ludus Dianae. (1501.) — Opera Hrotsvithae a Celte Ratisponae inventa et primum edita. (1501.) — Carmen ad Charitatem Pirkheimer. (1502.) — Quattuor libri Amorum. (1502.) — Rhapsodia. (1505.) — Melopoiae Petri Tritonii Celte auctore editae. (1507.) — Ligurinus a Celte inventus et a Sodalitate litteraria Augustana editus. (1507.) — Libri Odarum quattuor post mortem Celtis ab amicis suis anno 1513. — Libri Epigrammatum quinque Carolo Hartfelder curante anno 1881. editi sunt. Opus maioris momenti Conradi Celtis, Germaniam illustratam, cuius praeludium non solum Norimbergam, sed etiam quattuor libros Amorum et Germaniam Generalem putamus, ad finem non perductam esse magnopere dolemus ; editio epistolarum Conradi Celtis Ioanne Rupprich curante. (1934.)

³ Trithemii Opera ed. Freher, I. Francofurti 1601, p. 390.

⁴ Cf. epistolam Sebaldi Clamosi aut Ioannis Aventini. (Der Briefwechsel des Konrad Celtis ed. Rupprich, München 1934, No. 233, 253.)

⁵ Nova editio ab Ioanne Rupprich curata (Bibliotheca scriptorum mediae recentisque aevorum, Lipsiae 1932.).

*II. De codicibus et editionibus
Amorum et Germaniae Generalis et Appendicum.*

a) Codices.

N — Norimberga. (Stadtbibliothek.) Cod. Cent. V, Ms. App. 3., Saec. XV., chart., in folio angusto. — Qui codex Conradi Celtis, ut ex armis eius verbisque „Con. Celtis Pro. poete sum“ videmus, erat et a famulis eius scriptus et multis notis marginalibus Celtis manu correctus est. 111 folia occupat, quorum 11 vacant;⁶ fol. 1r titulus: In hoc libro continentur opera Conradi Celtis in poetica. — 1v—2v vacant; 3r—4r Index odorum; 4v—5r Index elegiarum; 5r Index epodum; 5v—9v Index epigrammatum; 10r—11v vacant; 12r—40v Quattuor libri Odarum; 41r—49r vacant; 49v Carmen Fridiani Pignucii et horoscopus Celtis; 50r—58r lib. I. Amorum; 58r Adae Veneri carmen; 58v—65r lib. II. Amorum; 65v Iacobi Locherii carmen; 66r—73r lib. III. Amorum; 73v Ioannis Capnii et Gracci Pierii carmen; 73v—75v lib. IV. Amorum. Hinc post elegiam 4. aliquot folia desunt. — 76r—v vacant; 77r Epodos; 81r—v Carmen saeculare; 82r—111r Quinque libri Epigrammatum. Carmina Fridiani Pignucii, Adae Veneri, Iacobi Locherii, Ioannis Capnii et Gracci Pierii ante singulos libros collocata sunt, quae nos in Appendice II. edidimus. — Praefatio Amorum et elegia 12. lib. II. desiderantur. — Eundem codicem esse putamus, quem senatu Norimbergensi a doctore Sebastiano Hornmold anno 1633. emptum e duobus senatus consultis compertum habemus.⁷

Vindobona. (National-Bibliothek.) No. 7236., pars IV., Saec. XVIII., fol. 9r. Scripta et commentarios Caroli Christophori Gerhardi Schier de Iacobo Pisone continet; Schier citat versus 125—26 el. 9. lib. II., cuius dislichti textus optimus a nobis acceptus est. (V. Annot. Crit.)

K — Karlsruhe. (Grossherzogl. General-Landes-Archiv.) Ms. 340., Saec. XV., chart., qui codex continet praeter alia Adae Veneri opera carmen ad Conradum Celtam manu poetae scriptum, quod in N quoque invenitur. A Carolo Hartfelder in Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins XXXIII (1880), p. 36. prelo mandatum est.

b) Editiones.

e — Conradi Celtis Protucii primi inter Germanos imperatoris manibus poete laureati quatuor libri Amorum secundum quatuor latera Germanie. Celtis et Sodalitas litteraria Celtica subventionem Maximiliani I. Norimbergae anno 1502. in officina Hieronymi Höltzel,⁸ cum undecim imaginibus partim ab Alberto Dürer, partim a Michaelae Wohlgemut ligno incisis. Eodem anno duas editiones factas esse fertur, quae in omnibus fere partibus similes essent. — Liber continet fol. aii—avi praefationem ad Maximilianum imperatorem, fol. IXr—LXXIIIv quattuor libros Amorum. Addita sunt nonnulla opera:

⁶ Nos superiore foliorum numeratione, quae folia vacua quoque complectitur, utebamur; numeratio enim inferior folia vacua omisit.

⁷ Cf. E. Mummenhoff in Mitteilungen des Vereins für Geschichte der Stadt Nürnberg, VIII. (1889), p. 251 sq.

⁸ Cf. Karl Schottenloher, Die Entwicklung der Buchdruckerkunst in Franken bis 1530. Würzburg 1910. (Neujahrsblätter hrsg. v. d. Gesellschaft für Fränk. Geschichte. V.), pp. 31, 59.

Vincentii Longini Eleutherii in novenarium lyrica,⁹ Conradi Celtis Germania Generalis, quam nos hic edimus, eiusque de origine, situ, moribus et institutis Norimbergae libellus¹⁰ et oda de vita S. Sebaldi¹¹ et Ludus Dianae;¹² sequitur copia bullae erectionis collegii poetarum et mathematicorum in Vienna, Vincentii Longini panegyricus ad Maximilianum regem, epistola Sebaldi Clamosi ad Conradum Celten Cal. Mart. anni 1500. et responsum eius Cal. Febr. anni 1502. — Elegiae Quattuor librorum Amorum huius editionis multis versibus auctae et correctae sunt, qua de causa nostrae editioni imprimis fundamento posuimus.

b — C. Celtis poete Carmen elegans de diuersis et inutilibus studiis et inanibus curis mortalium — Viennae Austriae pridie Kalendas Octobris anni 1507. Carmen sc. el. 10. lib. III. non ipse poeta, sed Ambrosius Bero una cum epistola dedicatoria ad Ioannem Volscum Boemum adulescentem, Conradi Celtis discipulum, in appendice editionis suae Epistolae Luciferi ad malos principes Ecclesiasticos edidit.

t — Cornelij Taciti veridici Historici: de situ Germanie et incolarum: vt secla olim ferebant: moribus libellus lectu dignissimus. Conradi Celtis Protucij: Poete fragmenta quedam: de iisdem scitu admodum vtilia. — Impressum apud Ioannem Singrenium Viennae Pannoniae mense Ianuario anni 1515. — Fol. ciiij—diiiir Germaniam Generalem mutato titulo multisque variationibus continet; hanc priorem formam carminis esse, quae iam anno 1500. in editione Germaniae Taciti edita sit, Engelbert Klüpfel¹³ testatur. His temporibus in nulla bibliotheca Germanica et Austriaca tale exemplar anni 1500. invenire potuimus; idcirco in nostra editione Germaniam Generalem anno 1502. editam secutae sumus, nonnullas Germaniae Generalis editiones immutatas operibus historicis et geographicis saec. XVI. et XVII. insertas praeterimus.

h — Chonradi Celtis Prothucij Elegiae duae multo festiuissimae per lo: Hornburgium nuper ex libris eius amorum depromptae et bene castigatae. — Lipsiae apud Valentinum Schumann mense Maio anni 1520. — Ioannes Hornburgius Erythropolitanus, discipulus quidam Iacobi Locherii Philomusi Ingolstadii, edidit fol. 5v—8v el. 10. lib. III., fol. 8v—11r el. 4. lib. IV.

d — Delitiae poetarum Germanorum huius superiorisque aevi illustrium collectore A. F. G. G. — Impressit Francofurti Nicolaus Hoffmannus sumptibus Iacobi Fischeri anno 1612. — In secunda parte huius collectionis inveniuntur inter alia Conradi Celtis carmina tres elegiae libri III.: p. 245 sq. el. 2., p. 246—248 el. 3., p. 248—250 el. 6.

Fünf Bücher Epigramme von Konrad Celtes, ed. Carolus Hartfelder. Berlin 1881. — Hartfelder nonnullos versus elegiarum Amorum ut epigrammata in libro quinto epigrammatum inseruit.

⁹ V. Append. I.

¹⁰ Tunc primum in lucem prodit.

¹¹ iam 1495. typis excusa.

¹² Primum impressus Norimbergae anno 1501.

¹³ De vita et scriptis Conradi Celtis Protucii, Friburgi Brisgoviae 1827. P. II. p., 64.

CONRADUS CELTIS PROTUCIUS
QUATTUOR LIBRI AMORUM
SECUNDUM QUATTUOR LATERA GERMANIAE.

**Praefatio et panegyrici prima pars
ad Maximilianum Romanorum regem et Caesarem Augustum
in libros Amorum.**

Libros amorum nostrorum decennali peregrinatione a me ¹
conscriptos cui merito (tamquam primitias agrestis et rudis mei
ingenii) dedicare et offerre debeo, rex serenissime, quam sacratis-
simae tuae maiestati et illustrissimae domui tuae Austriae, quae
me ante aliquot annos per genitorem tuum Fridericum tertium
divinae memoriae ad poetices disciplinae coronam et imperi-
alem laurum evexit. Cogitabam ego interea apud me frequen- ²
tissime, ut susceptae meae a Caesare dignitati aliquod di-
gnum excuderem et non tantum inanem quendam huius di-
gnitatis titulum et umbram (ut multi nostri saeculi homines
solent) gestarem pèrque hoc genitori tuo et celsitudini tuae
apud posteritatem dignas gratiarum actiones persolverem.
Qui errantes Musas et quasi iam aliquorum imperitorum ho- ³
minum calumniis in Germania infames et extorres hoc anno
collegio et perpetuo stipendio cum duobus mathematicis li-
beralissime donasti data etiam mihi et successoribus meis
vice tua, ut in eodem collegio (ut nostro saeculo Romae fue-
rat) creandi et insigniendi poetas auctoritatem habeamus. Sed ⁴
nec in meis hactenus facultatibus et ingenii viribus erat, ut ali-
quo a me absoluto in poetica opere tuae celsitudini dedicando
responderem, neque per hoc ullo pacto pro magnitudine
tuorum in me beneficiorum satisfieri tibi posse intelligebam,
qui in tanta fortuna et felicitate et in humani generis fastigio
positus es et ita emines, ut ab homine privato et tenui doc-
trinaeque et eloquentia triviali aliquid tale tuae maiestati offerri
possit, quod dignum tanto principi et Christiani orbis imperatori
foret. Commasculavi tamen frontem et erasa omni (ut in pro- ⁵
verbio est) verecundia cogitare coepi, si non aliquid tale,
quod par tuae celsitudinis laudibus esset, offerrem, saltem

nostris nugis, ineptiis, incomptis et illepidis iocis, quibus aula se oblectare solet, animum meum iugemque et perpetuam in te tuamque illustrissimam Austriae domum observantiam intelligeres meque (ut saepius solitus es) ad maiora animares, Maximileiden inquam et per te scriptos a cunabulis annales, nocturnas et diurnas commentationes.

Nunc autem, rex gloriosissime, serena oramus fronte (ut omnia, etiam magis exigua, in nostris studiis soles) libros 6
amorum nostrorum quattuor suscipe, in quibus Germaniae nostrae, immo tuae quattuor latera et quibus illa cum colli-
mitiis, gentibus et nationibus et regnis clausa et circumsaepa 7
est. Eiusque interiora ad inclitum Albim fluvium, cuius utras-
que ripas regiis palatiis et in alveum eius ingentibus iactis
molibus Fridericus Saxoniae dux, imperii Romani elector Mu-
sarumque nostrarum et studiorum maximus amicus, longe la-
teque possidet et qui olim Romanis incognitus erat fluvius,
iam felici conversione siderum in medio quasi corpore imperii
pari fama cum tuo Danubio et Rheno ac Rhodano tuo, Tago 8
et Durio Tiberique floret et pollet. Invenies autem in his no-
stris de amore libris utriusque, hoc est terrae et caeli nostri
situm et positum, quas artes tu velut alter Caius Iulius Cae-
sar, Hadrianus et Alfonsus calles mirificeque te his oblectaris.
Invenies item anni descripta a nobis tempora et ex cardina- 9
libus caeli signis mutationes eius et temperamenta et (ut na-
tura comparatum est) ingenia suum caelum et terram sequi;
ita hic depicta et figurata secundum quattuor aetatum circulo-
los et hebdomadas (ut Pythagorici tradunt) hominum animos
et eorum corpora contemplabere. Apposite autem, quae in 10
Germania nostra memoratu digna sunt, ut flumina, montes,
lacus, nemora, paludes et solitudines, urbes etiam insigniores
et septem metropolitanas patriasque doctorum virorum, etsi
non omnium, mortuorum et adhuc viventium et, ubi occasio se
obtulerat, regum et imperatorum, praedecessorum tuorum facta
et gesta, recentiora etiam nostri saeculi et centenarii confecta
aut profligata per te aliosque clarissimos duces nostros in
Germania bella, quale ad septemtrionem Brutenicum et nu-
per Dacicum et Suedicum, ad meridiem autem per Sigismun-
dum patruelem tuum cum summa victoria gestum Venetum,
per te autem Burgundum et Helvetium rursusque ad ortum
per te recepta Austria Pannonicum et ad occasum Sugam-
bricum et, quod iam firmata pace conquiescit, Gallicum.

Haec ego ita praefari tecum, rex gloriosissime, coactus 11
sum, ut illis hominibus, qui indelebili quodam nostrorum stu-
diorum odio (ob poetices disciplinae ignorantiam) tenentur, ob-
loquendi occasionem praeriperem, qui omnium poetarum scripta
inania quaedam commenta animique labem et corruptelam
et omnium inquinamentorum quoddam coagulum dicunt pu-
bliceque in sacris aedibus vulgo in odium nostri praedicant

eiusque altissimae et divinae disciplinae cultores et scriptores flagitiorum doctores et omnium vitiorum magistros insimulant, itaque persequuntur et insectantur, ut nihil apud illos impudentius et a religione nostra Christiana profanum sit quam poetas legisse aut audisse. Adeo usque apud illos ignavos crabrones et fucos, veteres Romanarum et Graecarum artium hostes, honorata illa a sapientissimis imperatoribus invisa, despecta et proculcata sunt priscarum litterarum studia, quorum ego ulcerosa intestina et purulenta terga ad vivum usque (ut Cicero ait) secarem saniemque et conceptum virus elicere, nisi a sanctissimis et doctissimis nostri saeculi viris totiens iam defensa esset poetica et quod iam despectae ab illis imperitis Musae te restauratorem, defensorem communemque parentem nactae fuissent. O dignum regem, qui nobiscum Romano imperio ut alter Caesar Augustus priscas nobis artes, Romanas et Graecas litteras cum imperio restituis! Sed me contineo contra hos balatrones plura scribere, cum sciam in omnibus rebus praesertim in humanis studiis subitam naturae et hominibus mutationem esse molestam, proinde aliquid tempori esse dandum, quod multum in natura et commutatione studiorum potest, cum quo, hoc est tempore, illis frementibus egregia adolescentium nostrorum surgent ingenia et, quos illi hactenus (expertus loquor) inanibus verbis et futilibus rebus a solida philosophia et eloquentia abduxerant, iam te rege inclito iubente et instituyente ad prisca studia animabuntur et reducentur. Quos ego adolescentes et ingenuos minime a lectione amorum absterrendos (ut illi suadent) censeo. Nam cum inter humanos affectus blandissimus, naturalissimus et potentissimus amoris sit adolescentibusque multa et varia inventionis, exercitii et ingenii experimenta suggerat, quis illos honesto illo amore, ad quem nos natura vocat et sollicitat, ludere et iocari non permittat ad erigendasque animi vires et arcanas in amore cogitationes prope divinas de amore legere et audire non consentiet? De honesto illo amore dictum velim, quo caelum, terra omniaque natura constantia quodam favore et tacito consensu se misceri, iungi maritariusque cupiunt. De infami illo et spurco, qui et in brutis cunctisque animalibus (in homine autem male affecto ferocior) communis est, alia cum adolescentibus habenda est ratio. Utrumque tamen quis experiendum ambigit, cum in illo quid sequendum, in alio quid fugiendum intelligere facile quis possit? Quocirca de utriusque amoris vi et impotentia nihil umquam illustrius scriptum a poetis invenio quam illam Lucii Apuleii speciosam fabulam et eos, quos de transformatis quindecim Ovidii libros legimus, in quibus poeta egregius de divino creatoris in creaturam amore orsus ex eoque caelum, terram et omnia universitatis membra in chaos confusa discreta et concordia foedere et nexu vinculoque amoris sociata

et ligata cecinit. Is amor, quem ignem, aquam, vaporem vel aerem 21
philosophi principium naturae nominant, nos autem deum opti-
mum maximum dicimus, qui hominem ex terrae gleba et limo
linxit hominique et cunctis in natura viventibus animalibus,
plantis etiam et seminibus inanimatisque rebus aliquibus, hoc
est gemmis, lapidibus, coloribus etiam vim et virtutem amoris
indidit, ut quadam inter se cognatione naturae et tacito favore
et consensu coniungi gestiant et gaudeant. In homine autem 22
(qui maxima pars tanti opificii erat) maiorem deus amoris par-
tem esse voluit. Tantumque in hos amoris imperium esse ius- 23
sit, ut aliquos ob illius affectus impatientiam in saxi modum
glaciemque induraverit, alios in liquidas undas resolverit. Quid 24
referam in arborum robora, truncos, radices et herbas con-
cretos soloque adfixos? quid in brutorum, ferarum, pecudum,
piscium formas abisse volucrumque pennas induisse, ut illi
proni terram, alii praepetibus et pernicipibus alis aut natatilibus
colligatis cute unguium digitis aera et aquas tranarent? Quid 25
autem animorum et mentium nexu mirabilius, quos amor
inenarrabili quadam commixtione in unam substantiam rapit
et unit, quod Graeci μεταψυχήν, id est transmutationem vo-
cant, ut duo corpora una se vivere anima alteraque se cum
altera vivere et spirare putat et credit unaque morte sublata
tamquam partem animae altera comitetur, ut nuper Ratispo-
nae accidit? Quas omnes ex Lucio et Ovidio fabulas si ad 26
affectum amoris et mentium nostrarum naturas interpretari
vellem, non mihi lunae menstrua aut solis annua conversio
sufficeret. Amore totus orbis (in eo, quo et pulcherrimo ornatu 27
fabrefactum conspiciamus) ortus et absolutus est in praescrip-
tumque ab auctore suo tempus manebit. Amore urbes et regna 28
et imperia incepere, constant et durabunt. Tanta caeli et ter- 29
rae in mutuo amore societas est, ut deorum dearumque con-
nubia (quas activas et passivas Aristoteles virtutes vocat) po-
etae confinxerint. Non enim semper, οἶκον ἀεὶ πολλὰ ψεύδονται 30
αἰδοί, plura mentiuntur cantores. Sic quendam inter has vir- 31
tutes Aristoteles esse occultum appetitum scripsit, quem ille
nomine privationis tertium naturae principium posuit. Hinc 32
illi crebri de amore in hominum conviviis et colloquiis et con-
tuberniis sermones, hinc illi sales et dicteria, facetiae et scom-
mata variorumque casuum in amore mirabiles fabulae et for-
tunae, hinc illa epithalamia et nuptialia carmina, hinc ille vo-
cum concentus et musicalium instrumentorum modulamina.
Quid militiae ludos, saltationes, choros tacitosque nutus et 33
oculorum connexiones commemorem, quae omnia eo spectant,
ut allectamenta quaedam et semina amoris sint, quo quaedam
spirituum et animorum communio fit. Nec mirum, si in hoc 34
potentissimo affectu naturae quidam desipiscant et delirent.
Pessima enim semper (ut aiunt) coniuncta sunt optimis ex 35

eodemque flore favum apis et aranea venenum sugit et colligit. Haec ego in nostras Aegyptiacas ranas dictum esse velim, quibus ego libros sacros et totum 36
שְׁמֹנֶה עָשָׂר פְּנִינָתַיִם πεντάτευχον, id est quinque libros Mosi, legendos propono, in quibus impletam divinsamque universam gentibus terram per amoris propagationem legimus. Quid 37
עֲשָׂרִים וְאַרְבָּעָה שִׁירֵי הַשִּׁירִים. אֶסְתֵּר. רֹוּת. מְלָכִים. יִנְדִּית. id est viginti quattuor libri sacri, Cantica canticorum, Esther, Ruth, Regum, Iudith admirandae historiae aliud scribunt et canunt quam malesani amoris impotentiam et dementiam et caeci pectoris ignes, qui Davidem et Salomonem prorsus sui et suae dignitatis immemores fecerunt. Longum esset, si 38
 Asiae, Africae et Europae reges et sapientissimos viros ex gravissimis et illustribus historiographis recensere vellem, quo pacto amor illos irretivit et illaqueavit. Facessant igitur illi nostri rabulae sinantque nos de amore scribere, audire et legere laudentque illi cum divo 39
Τερωνύμῳ contra Iovinianum caelibatum, dummodo nobis Schir hasschirim legere permittant, sciantque nos secundum naturam scripsisse, qua se omnia animantia propagare et aeternare (quod divinissimum est) cupiunt et appetunt. Vivant interea illi suo more, qui se castitati, paupertati et sacerdotio addixere et se propter Christum castravere. Dummodo nos de illorum numero sumus, quibus Graeco 40
Φιλήσει ὁ σοφὸς καὶ θνσθανατήσσει ὁ ἀφροδής, id est: Amabit sapiens, cruciabitur autem stultus; et rursus in sacris litteris: Propterea relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit etc. 41

Nos igitur, rex serenissime, aliquis ex his blateratoribus 42
 arguet et causabit nos de amore scripsisse, qui si non esset, illi inter mortales non viverent, librosque quattuor sub tui nominis sacratissimi tutela et patrociniø edidisse, in quibus adulescentes alioquin in hunc affectum (natura monstrante viam) proclivissimos a pravarum mulierum fraudibus et saevis blanditiis avocamus cavereque meretricum congressus (ut sapiens saepe monet) et consuetudines docemus illorum exemplo eos deterrentes, qui ob foedum amorem in summas calamitates, miserias mentisque et rationis eversionem summasque aerumnas et caedes et id genus plura et ferme infinita, quae hunc affectum potentissimum comitantur, adducti sunt. Qui dum 43
 illa de amore poemata nostra legerint aut audierint, discant halucinabundi inter modestiae et temperantiae fines vivere et se continere. Nam res illa, si quis huic alimenta dederit aut 44
 in consuetudinem adduxerit, nec modum nec rationem habet. Sed fortasse a plagiaris illis iterum ad iudicem vocabimur, 45
 dum nos subaccusabunt spurca quaedam minusque pudica et verecunda, sed prurientia et titillantia quaedam inseruisse carmina et quae castas innocentum adulescentium aures laedant et inebrient. Fatebimur equidem ingenue et illis non aliud, 46

quam quod in praefatione sua in comoedias Hrosvita nostra poeta Saxonica obtreclatoribus suis dederat, respondebimus : de amore scriptorem non tantum debere verba effingere, sed eorum, qui ita affecti essent, omnia etiam facta et cogitationes idque poeticae esse consentaneum et ab amoris gradibus non alienum. Quocirca dum illi sanctum Iob et Salomonis קהלת. qui de sapientia liber inscribitur, legerint, sciant (ut *ὁ λογοποιὸς* in eius libri enarrationem scribit) illos non semper ex suo, sed ex stultorum aliquando hominum ore locutos idque de industria et ex proposito factum, ut sapientis et stulti verba et cogitationes vir prudens cognosceret, quod et nos illos secuti saepius in elegiis fecimus. Quod si nostrarum rerum omnino adhuc sinceri iudices esse recusaverint, accipiant, quaeso, in pensiuiculae modum circa lasciva quaedam nostra carmina, quae admodum pauca sunt (ita cogente materia scribendi), ex philosophia summisque viris Platoniceis, Pythagoricis et Peripateticis Epicuroque, quem Seneca moralissimus in suis undique libris laudat et allegat, adducta loca, ob eamque rem a nobis id factum esse, ne lubrica tota, inanis, supervacanea, sterilis, denique arida, ieiuna siccaque foret amoris tractatio et, ut in fabulis est, dulcius arriderent seria mixta iocis, utque in conviviis fit, grata foret lectori rerum varietas.

Accipe igitur, rex et Caesar Auguste Maximiliane, hanc nostram decennalem lucubrationem, in qua Germaniam nostram in parvae tabulae modum et sua quattuor latera depictam intuebere, inclitorum etiam fluminum nostrorum in Germania ortus et exitus quotque illa miliaribus alveis suis ad maria deferantur quantumque Germania nostra se in Italiae, Galliae, Pannoniae, Daciae et Sarmatiae fines (tua, rex inclite, et priscorum Germanorum virtute et bellorum gloria) extenderit. Suscipe dehinc novam et generalem Germaniae, ut hodie habitatur, carmine heroico descriptionem. Nurmbergae insuper nominatissimae urbis et quae nunc in imperio Augusta Praetoria est, originem, situm, instituta, mores et ornamenta, quem ego librum cum vita divi Seibaldi, eius urbis patroni, nuper senatui Nurmbergensi dedicatum opportune his nostris de amore libris ad imprimendum curavi, ut Hercynia silva (quae per Germaniam longe, lateque divagatur) et eius gentes et urbes obtrusaque gentium et locorum in ea vocabula apud illustres scriptores memorata ab hominibus earum rerum studiosis intelligerentur haberentque eius silvae in toto orbe memorabilis propter suam magnitudinem ante oculos descriptam imaginem ; Dianae insuper ludum et panegyricos pro erecto poetarum et mathematicorum collegio. Sunt, qui se Gallias, Hispanias et utramque Sarmatiam et Pannoniam, transmarinas etiam terras lustrasse et vidisse gloriantur. Ego

non minori gloria hominem Germanum philosophiae studio-
sum dignum existimo, qui patriae suae linguae fines et ter-
minos gentiumque in ea diversos ritus, leges, linguas, religio-
nes, habitum denique et affectiones corporumque varia linea-
menta et figuras viderit et observaverit. Illaque omnia in il- 54
lustrata Germania nostra, quae in manibus est, faventibus Ger-
manis nostris numinibus et tuae inclitae maiestatis praesidio
et auxilio quattuor libris, particularibus gentium tabulis ex-
plicemus.

Vale, rex et Caesar Auguste, Romani imperii dignissi- 55
mus rector et arbiter nostrumque perpetuum ornamentum et
praesidium, ex Nurmberga diversorio nostro litterario, aedibus
Vilibaldi Pirkhamer, patricii et senatorii ordinis viri humanis-
simi et utriusque linguae, Latiae et Graiae, non mediocriter
docti. Reliquas panegyrici nostri partes in praefationibus libro- 56
rum odarumstrarum et centepigrammaton brevi accepturus.

QUATTUOR LIBRI AMORUM

SECUNDUM QUATTUOR LATERA GERMANIAE.

LIBER I., qui Hasilina vel pubertas vel Vistula et latus Germaniae orientale inscribitur.

*1. Ad Fridianum Pignucium Lucensem infeliciter se
ad amorem natum ex configuratione horoscopi sui.*

Sidera quae nostrae fuerint natalia vitae,
Candide Pignuci, carmine nosse cupis.
Accipe, per Latias vates doctissimus oras,
Lucanae gentis gloria magna tuae :
5 Nox erat et Februae submerso sole Calendae
Transierant mensis februa maesta colens.
Candidus inflexa Phoebus tunc stabat in Urna,
Proxima cui nitidae stella serena Lyrae,
Cumque Sagittiferi surgebant sidera signi
10 Horaque post medium tertia noctis erat,
Tunc mea me genitrix reserata effudit ab alvo
Et dederat vitae stamina prima meae.
Illa nocte Lyræ nemo conspexit Olympo,
Phoebus enim roseis hanc sibi iunxit equis
15 Plectraque pulsabat toto resonantia caelo
Et dixit : „Phoebo nascere, quisquis eris !
Ipse meam citharam plectro gestabis eburno
Lesboaque canes carmina blanda chely,
Seu te Germano contingat cardine nasci,
20 Sive Italo, Gallo Sarmaticove polo,
Nam mea sunt toti communia numina mundo,
Sim licet Arctois languidior radiis.“
Dixit et assensit Capricorni frigidus astro
Saturnus, totiens qui mihi damna tulit,
25 Marsque sub aestivo micuit tunc forte Leone
Et medium caeli cum Iove Virgo tulit
Lunaque fraterno capiens iam lumen ab ore
Cornua cum Capri cornibus implicuit.

- Quaque mihi nato volucris sub parte refulsit,
 30 Haec eadem coepto pars orientis erat.
 Principium Maiis fuerat tunc forte Calendis,
 Concepit nostrum dum pia mater onus,
 Mater, centenos quae quasi impleverat annos
 Et vidit quartam stirpe sua subolem.
 35 Mercuriusque suo iunxit vaga lumina Phoebō,
 Lusit et ad citharam verba canora suam.
 Iamque Venus stabat Verveis sidera lustrans
 Deridens tremuli frigida membra senis,
 Quam pater in quarta dum vidit adesse figura,
 40 Increpat et contra talia voce refert:
 „Saeva Venus, nostro quam de genitore creavi,
 Eius ut inieci secta verenda mari,
 Cur mea derides venerandae membra senectae
 Et falcem, quacum cuncta sub orbe meto?
 45 Ipse ego iam, tecum qui inimico lumine volvor
 Et male concordī foedere semper ago,
 Efficiam: Quicumque sub hac vitam accipit hora,
 Sentiat immites semper amore deos!“
 Dixit et auratae Veneris fera spicula fregit
 50 Plumbea, sed tarda iussit abire mora.
 Inde mihi facilem nulla est quae femina mentem
 Praebeat et stabilem servet amore fidem.
 Testis Sarmaticis Hasilina est nata sub oris,
 Elsula Danubio quaeque creata vago,
 55 Ursula Rhenanis et quae vaga gloria ripis
 Adque Codoneum Barbara nota sinum
 Atque aliae multae, quas fido pectore amavi,
 Quis mea deceptus munera saepe dedi,
 Munera, quae cunctas retinent im amore puellas
 60 Et validas vires semper amoris habent.

2. *Ad Nicolaum Gelonum se amore captum Musis
 Heliconiis intendere non posse.*

- Quid mea festivis impellis pectora verbis
 Fontibus Aonidum tingere labra monens?
 Non ego iam Phoebō rapior nec Apollinis ira
 Et mihi Pierium displicet omne nemus.
 5 Seu mea Saturnus gelidus modo plectra moratur
 Et vetat, ut solitis non trahar ipse lyris,
 Aut torvum meditor trepido certamine Martem,
 (Qui modo Sarmaticos cogit in arma viros,
 Ut pellant Scythicas Tanais trans flumina gentes,
 10 Sarmatico quae iam margine plaustra locant
 Atque hinc Germanas cupiunt invadere terras,
 Utque olim, Codanum sic modo adire volunt)

- Seu mihi iam blandum Venus inspiravit amorem
 Et iubet, ut flammam prosequar ipse meas :
 15 Quicquid id est, Phoebus modo sint sua carmina; nobis
 Iam placeat nitidis Hasa puella comis,
 Quae sibi me tanto nuper devinxit amore,
 Dum me deliciis foverat illa suis,
 Ut nunc posthabeam cunctos in amore sodales
 20 Segnior ad castas factus amicitias.
 Displiceant quamvis mihi saepe in amore dolores
 Ipseque sim morbi causa pudenda mei
 Et quamvis ratio crebro mihi vellicet aurem
 Saepeque praeceptis me monet illa suis,
 25 Scilicet ut nocuas abigam de pectore flammam,
 Ne sim rumigero fabula vana foro :
 Sed feror in praeceps nulla medicabilis arte,
 Nec me consiliis quisque levare potest ;
 Non Plato, non Socrates, Latiae nec turba sophiae,
 30 Nec dea, quae summo vertice nata Iovis.
 Sic me saevus amor rapit et scelerata libido,
 Ceu cupit hydropicus turgidus aeger aquas,
 Utque magis vetita sitiens exaestuatur unda
 Et reparat morbi semina lata sui.
 35 Sic me blandus amor graviori vulnere carpit,
 Dum vetor a vitio pectoris ipse meo.
 Illorum mores fugio simplex in amore,
 Qui dum semper amant, semper amare negant.
 Ingenue fateor tantos mihi mente calores,
 40 Pro quibus insolitam Celtis obibo necem.
 I nunc ingenuas suadens mihi visere Musas,
 Occupat insanus dum mea corda furor.

3. *Ad Hasilinam de aborta tempestate, dum
 Cracoviam Sarmatiae peteret, et signo veris.*

- Tempus erat, pluvio dum Phoebus surgit in austro
 Phrixaeaeque petit sidera blandus ovis,
 Iuppiter ad gremium sese cum Virginis alnum
 Suscipit, ut prolem proferat illa novam,
 5 Et novus in verno pubescit tempore mundus
 Et solvit tepidos humida terra sinus,
 Ut pariat flores roseis et lilia campis
 Et tegat umbrosis frondea tecta comis,
 Iamque Amor ad coitus properat stimulatque Cupido
 10 Eiaculans tacitas sole calente faces.
 Ipse peregrinas cupiens tum visere terras
 Regna malis avibus Celtis Eoa peto,
 Exercet vacuos ubi crudus Sarmata campos
 Et male compositis incolit arva casis

- 15 Quaque suis vastis cum cornibus explicat undas
 Vistula, Teutonicis qui modo meta plagis.
 Ventum erat ad collem, quo regia tecta videntur
 Et surgit muris Croca superba suis.
 Vix mihi visa vagum mox cingunt nubila solem
 20 Flabraque de variis confremuere plagis :
 Eurus Achaemeniis vertisset flatibus orbem,
 Ni Caurus rapidis obuius isset equis ;
 Frigidus hinc Boreas madidis Notus hinc ruit alis
 Et gravis effusus decidit imber aquis,
 25 Murmure quin etiam concussus inhorruit aether,
 Ruperat ut scissum Iuppiter igne polum.
 Mox querulae maestis volucres tacuere sub arvis,
 Dum reboat gemitu silva nemusque suo ;
 Sed volat infausto feralis gutture corvus
 30 Perque suas voces omnia dira canit
 Et modo conversis mea tempora verberat alis
 Ungue truci refugas collacerando genas.
 Ter stupefactus equus submisit sessile tergum,
 Ungula constiterat terque quaterque solo,
 35 Excutiensque leves mea pendula membra per armos
 Corripuit volucrum versus ab urbe fugam.
 „Summe pater, merui tua si modo fulmina,“ — dixi, —
 „Non mora sit, lapsum fulminis igne cremes,
 Vel face, quod tollat subitus mea corpora torrens,
 40 Ut sim Sarmatico piscibus esca salo,
 Qua Scogus et stricto stat Trendulus aequore mersus
 Et Stadus et Codano Scandia clara sinu.
 Gloria, fama, decus, virtus genialis abire
 Me patria atque alias cogit adire plagas.
 45 Illo ego si merui, pater o, tua fulmina caeli,
 Iam mea sub Stygios, fac, meet umbra lacus.
 Sed si laeva tuis monuisti pectora flammis,
 Auspice te felix hoc mihi restet iter !“
 Auspice te felix sit iter, dum repeto, saeva
 50 Flamma percussis ignibus ora ferit.
 Tunc iacuit longo sine sensu tempore corpus,
 Nullus et exangui visus in ore color.
 Ultimus ille dies clausisset tempora vati,
 Ni Phoebus solitam forte tulisset opem.
 55 „Phoebe, pater vatum,“ — fuerat dixisse voluntas, —
 „Fac, relevas vatis tristia fata, deus !
 Ipse sub Eoas veniens tua numina terras
 Clara canam Aoniis te celebrando lyris.“
 Audiit et venit cinctus sacra tempora lauro,
 60 Concutiens nitidum terque quaterque caput
 „Surge!“ — ait, — „et priscum capiant tua membra vigorem,
 Ut patriae fines quattuor ipse canas,

- Turgidus Eois quam claudit Vistula ab oris,
 Sed latus austrinum maximus Hister habet,
 65 Rhenus ab occiduis limes sed dicitur oris
 Et boreae partem gens Codonea tenet.
 Hinc quicquid mediis Germania continet oris,
 Carmine Phoebeo nota sub orbe dabis.
 Sed patiens varias tolerabis, Celtis, aerumnas,
 70 Orbe decennalis dum peregrinus eris.
 Magna venit nulli sine magno fama labore
 Et vaga sudorem gloria semper habet."
 Dixit et aurivagis fugiens secat aera pennis
 Aonidumque simul concomitata cohors.
 75 Multa ferens animo trepidus proficiscor in urbem
 Captus luminibus mox, Hasilina, tuis
 Et iacet obductum multa caligine pectus,
 Exercet vires mens neque caeca suas.
 Et nisi te toto complexam pectore versat,
 80 Semper et ante oculos stat tua forma meos.
 Qualiter umbrosis exercent guttura silvis
 Iam volucres verno et sideris igne calent
 Concutiuntque vagas sperata ob gaudia pennas
 Et sua respondent oribus ora simul :
 85 Sic mea ferventi vocitant te carmina plectro,
 Ut fruar amplexu, blanda puella, tuo.
 Aspice consumptas, o femina cruda, medullas
 Et resoluta tuis ignibus ossa vide!
 Aspice, quod fessos prope linquat spiritus artus
 90 Teque suae causam praedicat esse necis.
 En semel obliquum lustravit Cynthus orbem
 Duodeciesque tulit cornua plena soror,
 Ex quo dura meas tenuisti tempore curas
 Igneque non facili mollia corda coquis.
 95 Seu videant Phoebum terrae vel opaca trahantur
 Tempora, non requies nec modus ullus adest ;
 Vel mihi fatales neverunt fila sorores
 Talia, quae cogant me sub amore mori,
 Noxius aut semper mea corda ἐρόνοσος habebit,
 100 Quem morbum stellae forte dedere meae.

4. *Ad Bernardum Viliscum Roxolanum, quo interprete ad puellam usus erat.*

- Quae venit in claram tibi segnis epistola dextram,
 Scripta fuit, tristi qua patet ore specus
 Salque tenebrosis excisum in saxa cavernis
 Sarmaticos multo ditat in aere duces.
 5 Hic ego iocundis habito privatus amicis
 Et mihi, quae vita carior, Hasa manet ;

- Hanc mihi blandiloquo salvam si dixeris ore,
 Ipse mihi fidus semper amicus eris.
 In studia et mores aequalis visus utique,
 10 Ceu nos natus conciliasset amor.
 Sed facile est nostri causas tibi scribere amoris,
 Cur teneat tantus pectora bina favor :
 Seu libuit medias duxisse in gaudia noctes,
 Non lentus fueras, care Vilisce, comes,
 15 Volvere seu doctos placuit vel noscere vates,
 Non parvos stimulos tu mihi saepe dabas.
 „Quam pulchrum est claros,“ — dixisti — „volvere libros
 Et vitam studiis instituisse bonis !“
 Tu divinorum cognoscis carmina vatum
 20 Et quae nobilibus digna legenda viris,
 Comis et urbanus prudensque in singula verba,
 Nec segnis gratos ore movere iocos.
 Saepe struis largis epulis convivia doctis,
 Saepius exornas muneribusque tuis.
 25 Integra nec taceam vel apertae pectora frontis,
 In quibus haud fastus, nec dolus ullus adest.
 Sed nunc praeteream plures in carmine dotes,
 Quas dederat virtus ingeniumque tibi.
 Candidus interpret Hasilinae saepe fuisti,
 30 Germanam linguam sprexit ut illa meam ;
 Tunc ego condidici te praeceptore puellae
 Sarmaticae linguae barbara verba loqui ;
 Sed magis illa rudem potuit mihi flectere linguam,
 Iunxerat ut labris basia blanda meis
 35 Ludebantque simul lascivo murmure fauces
 Et mea pugnabant oribus ora suis,
 Utque monet Naso Pyladem, qui curat Orestem
 Quaerere, te nobis sic Venus alma dedit.
 Principium nostri fuerant haec, nosis, amoris
 40 Pluraque non humili iam referenda pede.
 Sed veniet tempus, quo teque tuosque parentes
 Laudibus emeritos iussus in astra feram,
 At nunc cum fausto currant tua fata tenore
 Et faveant votis numina cuncta tuis ! —
 45 Hinc, ut te monui, da nostrae verba puellae,
 Nocte dieque, feras, me suus ignis edat.

5. Ad Hasilinam

cum descriptione Carpathi seu Suevi montis.

O mihi magnarum curarum Hasilina levamen,
 O mihi quae flammis tollere sola potes!
 Sola mihi placido commutas tempora vultu
 Luctifica et mentis nubila quaeque fugas.

- 5 Ecce, iterum in mea membra ruit blandissimus hostis
 Et premit assueto subdita colla iugo ;
 Fluctuat in variis iterum mens aegra procellis
 Praecipitemque parat mergere saevus amor.
 Qualiter incertam fragili cum cortice cymbam
 10 Ventus agit, tumidis tollitur illa vadis
 Et rapitur, quo flabra vocant, furientibus undis
 Et tandem refluis naufraga fertur aquis,
 Pallidus ipse sedet mortis formidine nauta
 Et movet attonitas in sua fata manus :
 15 Sic dubio suspensa metu mea pectora flammis
 Exagitas animam discruciendo levem.
 Quam melius fuerat patriis latuisse sub agris
 Et vitem palo consociasse suo,
 Quam tot sollicitos vitae tolerasse dolores
 20 Et semper dominum mentis habere ferum !
 Saepius exosus vitales corporis auras
 Corripui ferrum te fugiente manu
 Et pressisse volens in saucia pectora, tandem
 Curarum finis mors ut acerba foret.
 25 Saepe calens flammis animam extinxisse sub undis
 Mens erat aut laqueo plectere triste caput.
 Optavi totiens rapido me turbine ferri,
 Quo nitidum Phoebus ducit ab orbe diem.
 Ah, quotiens dixi, rutilo dum Iuppiter orbem
 30 Fulmine concuteret : „Me, pater alme, petas
 Nostraque de gravibus solventur pectora curis,
 Linquere quae mentem nocte dieque negant.
 Vel me constituas gelidi sub cardine caeli,
 O dea, quae tanti vulneris auctor eras,
 35 Ut mihi ferventes extinguat pectoris aestus
 Frigida nimborum Maenalis Ursa poli.“
 Sed video nullo flectuntur carmine divi,
 Ipse mihi inveniam per mea fata necem.
 Est mons aetherium pulsans cum vertice caelum,
 40 Qui iuga cum scopulis aspera durus habet,
 Huius Hyperboreos dorsum consurgit in axes,
 Brachia Riphæis continuata iugis :
 Gentibus hunc medium posuit natura duabus,
 Sarmaticos inter Pannoniosque duces.
 45 Sarmata de prisco Carpathum nomine dicit :
 Hunc pergo infirmo tristis adire gradu,
 Ut mea ab aërio demittam pectora saxo,
 Pectora luminibus non bene capta tuis.
 Et posuit maestum titulum mea Musa sepulcri,
 50 Musa canens laceris in mea fata comis :
 „Hic iacet extinctus per saxa rigentia Celtis,
 Saxea dum fuerat saeva puella sibi,

- Carmina quam Phoebi poterant nec longa movere
 Obsequia, ut noster mutuus esset amor.
 55 Quam bene nunc nostrum primum es experta calorem,
 Cum pretium mortis, saeva puella, vides !"

6. *Ad Ianum Terinum de salifodinis Sarmatiae,
 quas per funem immissus lustraverat.*

- Iane, canens gelidis repetebam saepe sub antris,
 Cur nullo nobis tempore scripta dares.
 Forte tuum reris vatem mersum esse profundo,
 Pandit ubi tristes Sarmatis ora specus
 5 Multaque de umbrosis caeduntur saxa cavernis,
 Quae niveum tribuunt igne soluta salem.
 Vel saltem poteras paucis mandasse : „Valeto,
 Celtis, et infernas i, rediture, domos !"
 Sed redii superas dextro love vivus ad auras,
 10 Lustravi et Stygii tristia regna canis,
 Alcide, ut similem dicar subiisse laborem
 Et socia, Theseu, qui rapis arma manu,
 Illaque iam rigido volui tibi scribere versu,
 Quo noster solidum pignus haberet amor.
 15 Est specus immensis pandens cum faucibus ora
 Suppositumque vident lumina nulla solum,
 Sed face candenti distantia longa notatur,
 Fax ubi inexhausta luce fatiscit humo.
 Ora specus circum latissima machina surgit,
 20 Quam rota cum rapidis turbine versat equis.
 Robora transpositum per multa volumina funem
 Plectuntur curvo pondera dente trahens ;
 Lubricus hic caecum mortales mittit in antrum
 Aerium praebens irrequietus iter.
 25 Huic ego sum tremulus toto cum corpore vinctus,
 Ut fueram tristes ausus inire domos,
 Quas neque lucifluus collustrat lumine Phoebus,
 Nec radiis penetrat lucida fratre soror ;
 Cum love multiproco fugit hic Cyllenius ales,
 30 His neque sub specubus, Mars violente, rubes,
 Nec Veneris flammae rutilant hoc orbe remoto
 Falciferique senis lurida stella latet,
 Plaustra nec undivagis ibi monstrant aequora nautis,
 Illa nec Arctophylax regna sepulta videt,
 35 Sed volitant caeco tenebrosa ibi sidera mundo,
 Sidera quae nullum sunt paritura diem.
 O, mihi quam magno trepidabant corda pavore,
 Pendula lictores dum mea membra ligant,
 Et mea Tartarea condunt ubi corpora veste,
 40 Nullus erat toto vivus in ore color.

- Dumque inter vitam medius mortemque volarem,
 Daedalei timui fata subire fabri,
 Et mea signassent fatalem nomina terram
 Celtica, quae fuerat, lane, canenda tibi.
 45 Sed modo, cum superas rediissem sospes in auras,
 Oblectat tales saepe subisse specus,
 Quippe ea, quae vidi, statui mortalibus olim
 Pandere, quot poenas Tartarus ater habet.
 Interea rigidum depone a fronte Catonem
 50 Et somno curas, tristia pelle mero !
 Decipimur votis et tempore fallimur et mors
 Deridet curas, anxia vita nihil.
 Saepe mihi laudes Hasilinae corpus et artus,
 Haec praeter placeat, fac, rogo, lane, nihil.

7. *Ad Hasilinam perfidiam et inconstantiam sibi
 exprobrat ignemque tectum magis urere.*

- Est locus, instructo qui clauditur undique muro
 Statque in convexo pendulus orbe lapis ;
 Illius angusta laxatur ianua rima
 Et fissum tenui poste foramen hiat,
 5 Quo meus altus amor vaga lumina pascere suevit,
 Dum visu curas posse levare putat.
 Sed ferit occultis gravior me flamma sagittis
 Et crescunt tacitis vulnera caeca notis,
 Voce, pede et gestu cum das mihi candida signa
 10 Et simulas vultu spemque metumque tuo,
 Quis me blanda moves; refugis tamen impia motum,
 Femina Tantaleis assimilanda cibis.
 Perfida, nunc spondes communia gaudia pactis,
 Constans Euboicis ut solet unda vadis.
 15 Quale solet vernus dubium producere solem,
 Qui nunc aestivat, nubibus hinc hiemat,
 Sic varium gestat non constans femina pectus :
 Quod petiit, spernit, quod cupiebat, odit.
 Nusquam cura potest gravior mortalibus addi,
 20 Quam dubiam longa spem tenuisse mora.
 Oscula rapta locas modo, sed tenet altera cura
 Pectus et in tacitis conseris ora dolis.
 Nunc mihi furtivos ceu fido pandis amores,
 Et tecum quotiens ille vel ille refers,
 25 Et cupis arcanum furtis me adhibere ministrum,
 Ut magis indoleam, te quod adulter habet
 Quodque alius nostrae laetus foveatur amore,
 Dum tenet in votis te mea vita suis.
 Vidi ego, per longum quae egisti turpiter annum,
 30 Plura mihi tacita sed reticenda fide.

- Nullus femineo iuvenis detrectet honori
 Nec trahat in cunctas, quod facit una, scelus.
 Multarum casto sic mox potietur amore,
 Dulcia dum tacitus furta silere potest.
 35 Sed mea crudelis simplicia pectora fallis,
 Noscis, decipitur quam facile omnis amans.
 Parce, precor, fesso ! miserere fatentis amorem,
 Quod tacuisse tibi cautius, Hasa, foret.
 Illud enim doctas tribuit mulieribus artes
 40 Audacesque sui criminis esse facit,
 Dum sibi persuadent ignosci cuncta ob amorem
 Atque fidem verbis semper habere suis.
 Sit satis exactum mentem excruciasse per annum,
 Officique mei iam meminisse velis !
 45 Sed rigidam nostris nequiquam flecto periclis
 Asperior scopulis, quos ferit unda maris.
 Horrida per gelidas experta est mitior Alpes
 Femina montivagas concomitata feras.
 Sed tibi cognatae sunt frigida pectora terrae,
 50 Quae gelido semper cana sub axe riget,
 Quamque Anguis geminas tractu diffusus ad Arctos
 Despiciat occiduas non subiturus aquas,
 Quaque solet parvo privari lumine Phoebus,
 Lurida dum roseos Cynthia condit equos,
 55 Nec tibi lascivi sunt cognita sidera Tauri,
 Nec tua terra rigens sidus Amoris alit,
 Barbara contingit viduae sed Amazonis oras
 Admittens nullos horrida terra viros.
 Sed tamen haec aetas tua dulcia gaudia novit,
 60 Gaudia, quae noti saepe dedere viri.
 Impia, dic tandem, cur nil ingrata rependis,
 Quod dederas multis, cur mihi saeva negas ?
 En, mea iam subitos emittunt lumina fletus
 Udaque cum largis imbris ora rigant.
 65 Qualiter in verno Phoebus dum lucidus orbe
 Aestuat et niveas exprimit ardor aquas,
 Tunc iuga Carpathi ferventi sole liquantur
 Et citus in tumidis Vistula fertur aquis :
 Sic tua flamma premens animum cum corpore solvit
 70 Duraque permulcet pectora blandus Amor.
 Sed sociam nostris te non geris, improba, flammis
 Nec penetrat pectus nostra sagitta tuum.
 Cumque haec sollicita tractassem pectore cura,
 Haec mihi de Clario sunt data verba deo :
 75 „Fac, caveas, oro, docta a meretrice ligari
 Submittive suo colla procera iugo,
 Nam te transformet (mihi crede) in mille figuras,
 Ut mea Circaeis nata solebat aquis.

- Cumque tibi exhaustae tenero sunt corpore vires
 80 Nullaque luxuriae des alimenta suae,
 Ridebit miserum mollique explodet ab antro
 Accipietque tuas ditior aere vices."

8. *Ad Hasilinam insertum heroicum.*

- O cunctas Hasilina super formosa puellas,
 Sarmatiae gelidis quas clausit Vistula ripis
 Et quas undosus variis erroribus Hister
 Irrigat, Hercynio nec talem Alemania saltu
 5 Nutrit in Arctoas extendens brachia terras,
 Pulchrior Hesperii Rheni et praelata puellis.
 Forma colorque viget, niveae dum vincula plantae
 Exeris, aetherias nymphas cum gressibus aequas.
 Purpureis suffusa genis tua lactea splendet
 10 Exhilarans facies ; tua singula membra decore
 Extulit et cunctos natura adverterat artus.
 Nigra superciliis, frons libera, candida cervix
 Sidereique oculi modicoque tumentia labra
 Flammea quaeque favos superant et Hymettia mella.
 15 Quid genus enumerem ? Teretes dum corporis artus
 Semine divino testentur et ora creatam,
 Inferior non ipsa deae, cui munera fulva
 Obtulit in Phrygiis iuvenis notissimus arvis.
 Te riguis nuper qualem conspeximus hortis,
 20 Dum liquidis soliis tua corpora pulchra lavares ;
 Candida formosae superabas membra Dianae
 Et Charites, calcant niveis quae gramina plantis.
 Nostra feras facili nunc carmina, poscimus, aure,
 Diva, tibi tacitas iam depromentia curas
 25 Atque animum aeterno cupidum tibi tempore iungi
 Candida suscipias discasque assuescere votis
 Iam non dura meis ; tollam super aethera nomen
 Carminibus, generosa, tuum. Nec Sarmata tantum
 Cognoscet, varias veniet tua fama per oras
 30 Et sua qua prono demittit vertice Phoebus
 Lumina, per Scythicos et qua coit unda rigores.
 Non ego consueto mortalibus uror amore
 Tecum et in internas desaevit flamma medullas
 Visceribus congesta meis. Ceu turbidus ignis
 35 Dum furit et flabris longe impellentibus euri
 Corripit aestivos stipulis crepitantibus agros
 Et vagus aetherium fumus subducit Olympum
 Haud aliter furibundus amor mea concremat igne
 Pectora nec possum validas extinguere flammās,
 40 Vel sua cum Phoebus infundit lumina terris,
 Frigida vel gelidus dum versat Plaustra Bootes.
 Dum subit illa mihi facies cum fronte serena,

- Insidet urbanus blandis cui semper ocellis
 Risus et occultas inspirans gratia flammās,
 45 Dum coma cum niveis in toto corpore membris
 Albentesque manus et brachia mollia menti
 Inciderint, mens aegra gemit suspiria longa
 Pectore fessa trahens lingua interruptaque verba
 Cogitur aegra loqui gelidaeque simillima morti
 50 Pallida membra cadunt solitas perdentia vires.
 Saepius illa tamen vidisti immitior omni
 Saetigero et rabidis, quae Caspia litora oberrant,
 Tigribus aut furiens quae concutit unda natantes
 Murmure fluctifrago scopulos Symplegados artae.
 55 Sed mihi iam toto spirans sub pectore, diva,
 Redde vices et dura meae modo tempora vitae
 Commuta et saevas abigas de pectore flammās
 Respondens tantis, mulier saevissima, curis.
 Ni facias, effundam animam furibundus amore
 60 Vitaeque dstricto fugiet de corpore ferro.
 Impia, funesto tandem inscribere sepulcro,
 Dum mea cum tali signentur carmine saxa
 Hic iacet infausto nuper correptus amore
 Celtis et insoliti causa est Hasilina sepulcri.

9. *Ad Hasilinam a se relegatam,
 quomodo et qualem philosophus amare debeat.*

- Prima mei fueras, Hasilina o, causa doloris
 Florem libatae virginitatis habens,
 Cum mihi iam dederant natalia sidera quinque
 Lustra per hibernum continuata diem,
 5 Phoebus Febriles ubi fecit in orbe Calendas
 Lumina purpureus sub Ganymede regens.
 Impia sed nostros nunc aspernaris amores
 Meque tuis flammis saeva perire sinis.
 Qualiter Herculeos olim consumpserat artus
 10 Stragula, quae Nessi tincta cruore fuit,
 Et quali fuerat Daphnes correptus amore
 Phoebus, ut aeternas iussit habere comas :
 Sic nos affligis tacitum aspernata calorem,
 Dum fugis et sacros deligis ipsa viros.
 15 Nulla magis mollit medicina in amore dolores,
 Quam dum tangendi copia multa data est.
 Nam veluti gelida fervor depellitur unda,
 Dum geminos fratres lucidus orbis habet,
 Sic in amore suum natura ubi dispulit aestum,
 20 Tristitia gaudet mens relevata sua.
 Quod mihi saeva negas duroque affligis amore,
 Extinctum vitio quem queror ipse meo,

- Saeva meos teneros nimium dum despicias annos
 Membraque adhuc Veneris non bene firma iocis,
 25 (Nam veluti Martem delectant fortia membra,
 Aetatem mediam sic Venus ipsa probat)
 Quodque mihi totiens pudor et timor obstitit olim,
 Primitias Veneris quando daturus eram,
 Tertia non meritaef conlingis crimina culpaef,
 30 Dum mage me libris quam tibi adesse canis.
 Utque solent doctas mulieres spernere Musas
 Et tenet invisos quaeque puella libros,
 Qui mos barbaricis nostris solet esse puellis,
 Sic tu fastidis, femina cruda, libros.
 35 At non talis erat famosi Lesbia vatis,
 Limabat versus quae sibi docta suos,
 Et non talis erat Nasonis pulchra Corinna,
 Nomine non vero quae sibi dicta fuit,
 Atque aliae multae generosa mente puellae,
 40 Ingenium doctis quae tribuere viris.
 His similem inveniam totoque vagabor in orbe,
 Qua patet Almanis maxima terra viris.
 Interdum, fateor, studiosis altera cura est
 Et Pallas Veneris spurcida castra fugit
 45 Altaque stelligeri conscendit sidera caeli
 Et comitem summi se cupit esse Iovis.
 Inde celer nitidis delabatur aethere pennis,
 Hospita terrenis dum cupit esse iocis;
 Nec semper spurca sua membra libidine foedat
 50 Corpora putrilico commaculanda luto.
 Maximus in nostris non semper Iuppiter oris
 Sic fuit, in caelum sed redit ipse suum.
 Cumque illum coepit terrae stimulare voluptas
 Et Veneris blandum vellet inire sinum,
 55 Induerat taurum, volucrem variasque figuras
 Deliciasque suas veste reiectus habet.
 Sic nobis caelo terraque marique vagatis
 Candida praebebit saepe puella iocos
 Ingeniumque levet stimuletque in carmina mentem.,
 60 Quae pia posteritas laudet, honoret, amet.
 Si tamen ignota dabitur lusisse figura,
 Et repetat caelum mens generosa suum,
 Utque animum et corpus nexus coniungit amicus,
 Castra voluptatis sic utriusque placent.
 65 Castra placent Veneris, sed plus mihi Palladis artes.
 Virtutis plus haec, illa pudoris habent.
 Utque scias tandem, quae sint mea vota in amore,
 Hoc tibi iam parvum distichon, Hasa, dabit:
 Non volo, quod saties, sed sis mihi rara voluptas,
 70 Ingenii vires sic mihi dura moves.

10. *Ad Gerionem corrivalem.*

- Qui quondam Herculeo superasti robore cunctos
 Et cui non genuit Sarmatis ora parem,
 Fortis in adversum torsisti viribus hastam,
 Vidimus, arboreo stipite maior erat.
 5 Omnis in occursum veniens prostratus, at ipse
 Solus ab immoto non cadis acer equo.
 Hinc timet in trepidas iuvenis descendere arenas,
 Dum timet invictam tota palaestra manum,
 Et vaga per totum currunt tua nomina mundum,
 10 Germanis, Gallis Pannoniisque timor.
 Quondam inter proceres fueras spectabilis heros
 Et stupuit tantum densa corona virum.
 Nunc tepet et pigro nulla est in corpore virtus
 Et vaga, quae fuerat garrula, fama tacet.
 15 Excussusque iaces sternaci fusus Hasella,
 Qua cadis occurrens terque quaterque die.
 Illa sedens blandis mulcet tua pectora verbis
 Docta premens stolido colla superba iugo.
 Et modo suspirans tacitis connivet ocellis
 20 Et locat ad nutus singula verba tuos.
 Oscula blanda rapis niveoque in pectore turgens
 Comprimitur manibus plumea mamma tuis,
 Saepe timet, veniat (cum das sibi basia) coniunx,
 Praedicat adventum praescia saepe suum.
 25 Et modo rixatur, modo per sua numina poscit,
 Ut sibi des pacem pulchra labella petens,
 Avertitque suos vultus inimica protervum
 Te iuvenem accusans cuncta licenter agens.
 Callida sic tecum meretricis acumina tentat,
 30 Ne cadat ex laqueis praeda opulenta suis.
 Hastatum iuvenem te claudunt fulcra mariti,
 Lustrat ubi totum Cynthia zodiacon.
 Tempus erit, vacuas dum sentit avara crumenas,
 Tangere siparium vix sinet illa suum.

11. *De radiis praesensionariis, quos philosophi
stellicos vocant, et quam potentes humani affectus sint.*

- Verum est aut veteres finxerunt talia vates,
 Unicus an plures spiritus orbe meet
 Impellatque suum corpus, quo intentio fertur,
 Ceu volat e manibus iussus abire lapis ?
 5 An virtus animis tanta est, ut corpora amantum
 Se poterint certis scire futura locis
 Et mutare suas formas virtute polorum ?
 Unde queat magicis artibus esse locus,

- Ut capro volet ille sacro, ceu Lucius olim
 10 Carmine Circaeο factus asellus erat ?
 Et velut in somno solitus consurgere tecta
 Lustrat et intrepidus pendula membra trahit,
 Corpore sopitos quos spiritus excitat artus
 Hosque sui affectus esse iubet comites
 15 Sic amor, affectus superat qui pectoris omnes,
 Virtute an moveat corpora nostra sua ?
 Hinc oculus, mentis qui nuntius atque fenestra est,
 Invidiae signum saepe et amoris habet ;
 Nam fertur radiis ocularibus esse potestas,
 20 Dum solo visu femina saepe necat
 Atque lupo mediis fuerit si visus in arvis,
 Mox spectatori guttura rauca facit.
 Sic Hasilina suis mihi dum connivet ocellis,
 Perpetuis radiis pectora nostra ferit,
 25 Aut veluti radios dum lucida sidera iactant,
 Sic virtute sua pectora nostra movent.
 Ut cum Saturnus sua lumina protulit orbi,
 Tristia cum maestis tempora maesta facit,
 Iuppiter et Mavors sic et Cyllenius ignis,
 30 Phoebus et extremo cardine Luna nitens,
 Quisque sibi certum tempus servavit in orbe
 Afficiens radiis cuncta sub orbe suis.
 Sic Veneris sidus, maior cui in orbe potestas,
 Influit imperio cuncta subire suo
 35 Et veluti gemmas herbasque sub orbe creavit
 Natura et vires iussit habere suas,
 Quas ex cognati capiunt virtutibus astri
 Et sua de radiis mira sigilla ferunt
 Hinc adamas ferrum trahit inviolabilis ictu,
 40 Ille tamen capri sanguine mollis erit ;
 Sicque cutem teneram fervens urtica perurit
 Socraticamque tulit dira cicuta necem ;
 Sic radium sibi quisque suo concepit ab astro,
 Quo movet et tacito membra vigore regit :
 45 Ceu quondam Marius Cimbrum percussit, ut ensem
 Conderet, et vitam iussit habere suam,
 Romanos omnes sic terruit alta Catonis
 Frons maiestatis signa verenda gerens.
 Nam res quaeque suum radium sortita per orbem est,
 50 Sidera dum caeli cuncta sub orbe movent.
 Praecipue humanos animus qui continet artus,
 Excellit radiis cuncta animata suis.
 Nam sua cognatis oriuntur semina stellis,
 Fertur et aetheriis proximus esse deis.
 55 Hinc etiam voces et verba ligantque levantque,
 Mobilibus labiis verba ubi sacra cadunt.

- Haec ego ubi tacito repetissem forte cubili
 Et querulis elegis charta notata fuit
 Et mihi sic totos Hasilina invaserat artus,
 60 Ut petiisse meam sit mihi visa domum,
 Surgo celer praesensa volens perquirere vates —
 Et stetit ante fores Hasa puella meas!
 Praesensique suum radium, quo me feriebat,
 Affectusve meus fecit, ut illa venit?
 65 Quicquid erat, postquam pressit sua basia, dixit
 „Altera, quae restant, gaudia nocte dabo!”

12. Ad Hasilinam se repudiantem equitemque admittentem patriam suam et eius situm et antiquitatem commemorans.

- Vel Syrtis vel Scylla vorax aut dira Charybdis
 Vel genitam furiens expuit unda maris
 Aut tibi virgatae per Caspia litora tigres
 Praebuit aut crudum saeva leaena latas
 5 Vel te Carpathus Suevus vel Caucasus horrens,
 Aspera vel Tauri te genuere iuga,
 Dura peregrinum dum dedignaris amantem
 Et sequeris, Martis qui gerit arma trucis.
 Sed caveas, moneo, ne, dum comprehensa, catenis
 10 Vulcanus solidis te liget, Hasa, suis
 Et Phoebus toto spargat tua crimina mundo
 Et fias cunctis fabula foeda plagis.
 Nec minor est Phoebi cultor quam Martis amator,
 Hic quamvis Venerem, Pallada Phoebus amet.
 15 Septimus a primo qui dicitur angulus orbis,
 Prospera (ni fallor) sidera nostra refert:
 Fervidus Haemonio iuvenis mihi surgit in arcu
 Et medium caeli cum love Virgo regit,
 Quin et suscipiens Phoebum Cyllenius ignis
 20 Ingenium vires iussit habere suas,
 Nec dea cunctipotens aversa fronte resedit,
 Cum numero partem per mea signa suam,
 Et mihi praeteritos animus si computet annos,
 Complevi quintam nuper Olympiadem.
 25 Maximus Αἰμίλιος, Romani nominis heres,
 Hoc anno et fausto sidere natus erat,
 Nostra quaterdenis sed praevenit hora diebus
 Astra, quibus vitam coeperat ipse suam.
 Et mihi persuasum dignam esse in corpore formam
 30 Et quod non segnis servus amoris eram.
 Adde genus longo proavorum stemmate clarum,
 Moenus ubi gelidis cornua flectit aquis.
 Hic ubi Francorum urbs illustri valle levatur
 Deque Ἐρέβου Graeco nomine dicta polis.

- 35 Fama est, dum Grai petiissent Gallica rura,
 Ad Rheni ripas exonerasse rates,
 Inde per Hercynios saltus vallesque patentes
 Struxisse his placidis moenia Graia locis.
 Cumque atras Diti litarent more bidentes
 40 Et druides templis instituere sacris,
 Hinc a Dite dabant urbi sua nomina Graeca,
 Graecorum linguam gensque hodierna tenet.
 Nam faciunt lingua Graecorum sacra quotannis
 Et templum Argolicis personat omne modis,
 45 Ante gradus cuius veterum simulacra deorum
 Palladis et Martis signa vetusta manent.
 Graecorumque gerunt priscas in corpore vestes
 Cum patribus matres et iuvenilis honos,
 Quas partim refluo mutavit tempore caelum
 50 Et partim luxus vel peregrinus amor.
 Nemo hinc miretur Graio me sanguine cretum
 Ἑλληνικὰ ad patriam iam retulisse meam.
 Elysios credas campos et amoena piorum
 Hic loca, quae Cererem vinaque blanda creant.
 55 Intonsique greges passim per prata vagantur
 Et nemora alituum vocibus alta sonant.
 Hic me non lento Phoebus dilexit amore,
 Hic dedit et resonis plectra movere iugis.
 O ego te patrias si possem ferre sub oras,
 60 Ditiior Arctoo nulla puella solo!
 Ergo quid infaustum nostrum interrupit amorem
 Et causam poteris quam mihi, saeva, dare?
 Per tua sub rigidis gentilia numina terris
 Et vultus carae quos genitricis habes
 65 Perque patrem subolemque tuam, quae clara futura est,
 Et flammās, causae quae mihi mortis erunt,
 Perque precor tandem languentia pectora amantum:
 Mitior in nostras sis, Hasilina, preces!
 Et reddas priscum mihi, conciliata, favorem
 70 Dignerisque tuo me, fugibunda, toro!
 Aut ego iam lacrimas longo maceratus amore
 Accumulo extremas in tua fata canens.
 Difficilis nostris nec inexorabilis esto
 Carminibus rigidas sueta movere feras!
 75 Quod si dura tuum forte inconsulta tenorem
 Servabis, tetricus iam tua furta canam.
 Et mea iam totum spirant praecordia Phoebum
 Et mea iam Bromius pectora totus agit,
 Ut de te totum spargantur carmina in orbem,
 80 Carmina, quae votis displicitura tuis.
 I nunc et tumido suspendas carmina naso
 Notior Arctoo, perfida, facta polo!

- Ante tamen Siculum linquet fera Scylla Pelorum
 Et sistet bibulas naufraga Syrtis aquas,
 85 Ante coit Libycis vertex Latialis arenis
 Et freta spumosis destituentur aquis,
 Ante vagus rapido miscetur Vistula Moeno
 Et Vidrus rigidas influet Albis aquas,
 Ante cadent refluxum glacialia Plaustra sub aequor,
 90 Quam tibi coniungat me recidivus amor.
 Sed post fata manet tenui si sensus in umbra,
 Persequar ad Stygias te comitatus aquas ;
 Seu subeunt animi deserto corpore stellas,
 Ipse petam occasum, dum tuus ortus erit ;
 95 Vel mihi contingat rursus post fata renasci,
 Ipse iterum fraudes et tua furta canam.
 Interea rigidas, iuvenes, fugite, oro, puellas,
 Quas fovet Eois Sarmatis ora plagis,
 Cantantesque meos post saecula longa dolores
 100 Non pigeat nostris ingemuisse malis.

13. Ad Hasilinam cum sacerdote deprensam.

- Cur tua submisso gestas modo lumina vultu,
 Occupat et nitidas pallor utrasque genas ?
 Cur te iam rigidi titillant fronte capilli,
 Garrula nec solito verba proterva iacis ?
 5 Conscia mens scelerum caeco te vulnere toquet
 Et cruciant variis te tua furta modis.
 Qualia vel Sicali memorant tormenta tyranni
 Vel dirus poenas quas Rhadamanthus habet.
 Hasa, tuum, dixi, foedabis crimine nomen,
 10 Obstrepet et factis garrula fama tuis,
 Dum tu legitimas totiens confundere taedas
 Ausa et lascivum prostituisset femur.
 Proxima nox taetro vidit tua crimina vultu,
 Isset ad invisos quando maritus agros.
 15 Hacque ego sum passus per totam frigora noctem,
 Rasus ubi nostras vir tenet illecebras.
 Sed volumus tacitae veniam concedere culpae,
 Quandoquidem sacris flecteris, Hasa, viris,
 Criminibus nostris possunt qui avertere divos
 20 Et fulmen rutili continuisse Iovis.

14. De exclusione ;

necromanticas et magicas artes commemorat.

Quo pudor et probitas, veteris vestigia saeculi,
 Quo fugit aut virtus venerandaque semper honestas ?
 Moribus antiquis non est aequabile nostrum
 Aevum ; et in aetherias iterum compellitur auras

- 5 Ire pudicitia et fugit indignata tenebras.
 Nec sacer orbis amor (ceu quondam) mutua curat
 Pectora concordi fugiens coniungere voto.
 Stupra, fames, strages, usuras, furta, rapinas
 Et muliebre nefas patiuntur saecula nostra.
- 10 Perfidia comitante dolos et fraude maligna
 Interiit contempta fides, dum subdola lingua
 Numina sancta vocans mendacia ficta colorat.
 Se dat huic sociam non lentam Hasilina ruinae
 Atque aliae multae; quarum si nomina vellem
- 15 Commemorare modo, numerarem sidera demens,
 Aut quot Carpathiae surgant aquilonibus undae,
 Quotve niger Libycas convolverit auster arenas.
 Utque modo incipiam repetamque ab origine causam,
 Saevit avaritia velut insatiata Charybdis
- 20 Et Siculo rapiens, quodcumque inieceris, ignis.
 Vendiderit sanctum quotiens submissa pudorem!
 Inde petit saturas Sarrano murice vestes
 Et quos de Scythico venantur mure sabellos.
 In capite et collo multis onerata lapillis
- 25 Et gemmis tumidum digitis circumligat aurum,
 Irritum quibus solita est vel prendere amantes.
 Ambitione tumens ostentat singula membra
 Docta locans stolidis venalia corpora moechis
 Elata cervice sedens semperque videri
- 30 Laudarique volens: mulier dignissima laude!
 Iracunda movet furibundo ubi pectora motu,
 Tisiphonem videas, rabidam vel in ore Megaeram
 Perfurere et totos illi iniecisse colubros.
 Quaeque fuit semper multorum causa malorum,
- 35 Incubuit iam tota suis Venus improba nervis
 Factaque sub tacitis mulier notissima stupris.
 Atque forent utinam sua stupra plebeia! Sed illis,
 Heu, peccat scelerata viris, quibus alta corona
 Abrasit nudam sacrato vertice testam
- 40 Quosque iuvat miseris Mavortis vivere castris.
 Hos fovet et sacris haerens amplexibus illis
 Militat et castos moecha interrumpit amores. —
 Nox erat et medio transmisit sidera caelo
 Prona sub Herculeas mundo rapiente columnas,
- 45 Versa et in Eoos iam torsit Plaustra Bootes
 Candidum in Haemonio promittens sidere Phoebum;
 Corniculata cavum iam Cynthia protulit orbem
 Et nondum solido spectabat lumine terras.
 Ipse ego tunc tota perpressus frigora nocte
- 50 Expecto tremulus promissae gaudia noctis.
 Cumque Hasilinae reserata est ianua nostrae,
 Mox mihi terrifico vultu occurrebat imago

- Atra sub obscuris involvens membra cucullis.
 Iam lemures et noctivagis simulacra figuris
 55 Taetra vel infernas mutatis sedibus umbras
 Sorte parentali vigilans errare putabam;
 Intremui torsique genas et ab auribus actae
 Surrexere comae, geminus stupor alligat artus.
 Ut redit ingenuus vigor et pavefacta reliquit
 60 Membra timor, veri retinent praecordia sensus,
 Vota dabam superis Hecatesque ante ora triformis
 Numina sancta voco memori sub pectore volvens
 Arcanas quondam mihi quae doctissimus orbe et
 Omnipotens varias tribuit necromanticus artes.
 65 Hic potuit magico divertere flumina cursu
 Sideraque et duras animis immitere curas
 Sanaque tabificis affecit corpora morbis
 Et rapidos ventos armans in proelia fulmen
 Cum tonitru iaculatus erat tenebrisque fugatum
 70 Expulit orbe diem, vitae et statione solutas
 Carmine pallentes animas revocabat ab Orco
 Sanaque consumptis animaverat ossa medullis.
 Dixerat ille mihi „Condas haec pectore verba,
 Nocte quibus Stygios errantes sistere manes
 75 Colloquioque frui poteris (mirabile dictu),
 Cum sua in humanas laxabunt ora loquelas
 Occultasque tibi pendent miro ordine causas,
 Quae mare, quae terras et sidera clara coercent.“
 Utque orbi concretus amor durabit in aevum
 80 Mentibus, aetherias dum servant sidera leges
 Diversisque modis deus imperiosus in orbe
 Mollia sollicitis impugnat pectora curis,
 Mutua flamma premat socialis et ardor amantes
 Ignibus aeternis alios et nexibus artis
 85 Concilians, mirum spirans in corda favorem;
 Ast alios numquam sub mutua foedera mittit,
 Illa sed alterius deridet pectoris aestus
 Exercens foedas venali corpore merces
 Et fructu, non mente levem compensat amorem.
 90 Talia non parva stimulabant pectora cura,
 Experiar similes aliquando ut carmine vires,
 Si modo, quae fuerat mihi visa, recurreret umbra.
 Septimus interea radiosus Cynthus orbem
 Ignifluis invectus equis a Tethyos undis
 95 Extulit et totiens tenebras induxerat orbi.
 Umbra redit, loca nota petit librataque sensim
 Fertur uti liquido suspendens aere corpus.
 Mox ego stringo comas vittis maestamque tiaram
 Induo praecingens furiali corpora lino
 100 Et citus obliquam telluri inscribo figuram

- Ense secans stricto vivisque adolescere flammis
 Verbenam iubeo terque ante altaria circum
 Intrepidus mucrone cano ; dein quattuor oras
 Terrarum caelique noto, qua Phoebus ab ortu
 105 Surgit et Hesperias cubitum qua fertur in undas
 Et septem gelidi lucent ubi nocte triones
 Et qua devexus calidum polus excipit austrum.
 Deinde locum facibus Stygiis et thure vapore
 Consecro velato capite inclinatus ad aras
 110 Iam magicis lustratus aquis ; tum carmina diro
 Tristia ab ore ruunt. Mox magno impulsa tumultu
 (Horresco referens) tellus per inane voracem
 Immenso subducta sinu patefecit hiatum.
 Unde sepulcrales gemitus maestique sonabant
 115 Ploratus ululante chao, dum murmure vasto
 Commugit tellus, quo celsus inhorruit aether.
 Quale solet, Scythicis Boreas cum saevus ab oris
 Irruit et rapidis conatur fluctibus orbem
 Vertere silvifragis prosternens robora flabris
 120 Carpatho Abnobioque minans ; ni frena retentet
 Aeolus, evulso nutaret cardine mundus.
 Hunc dederat rupta tellus compage fragorem,
 Ut foedus densas infecerat halitus auras
 Infernisque calet correptus ab ignibus aer
 125 Sulphureoque latent iam tristia sidera fumo.
 Impia ter gemino mox Cerberus ora latratu
 Sustulit et superas primus mihi visus in auras
 Moliri, anguicomas secumque inferre sorores
 Apparat et tristi quicquid latet abditum in orbe.
 130 Tum trepidi gemuere Lares et quassa profundo
 Tecta paene subitam traxissent mersa ruinam,
 Ni mea Tartareas tenuissent carmina vires.
 At postquam sensit nutantia tecta labare
 Umbra, citam properare fugam caecisque latebris
 135 Involvi et volucres dedit in vestigia plantas
 Ante retroque ferens properanti lumina motu ;
 Non secus ut serpens laetis effusus in arvis,
 Dum renovanda locat ad vernum corpora solem,
 Delitet in varias spargens sua lumina partes,
 140 Ne sua quis videat reparantem squamea terga.
 Tum si forte venit, magica qui doctus in arte est,
 Turgida reptilibus sua tollit guttura nodis
 Ora trisulca movens celerique per arva rotatu
 Dissilit et spiras per mille volumina torquens
 145 Aufugit, angustas caudamque obliquat in aures,
 Letiferi ut fugiat feralia carmina vatis :
 Taliter umbra meum magicum indignata laborem
 Fugerat et rapidis pressit vestigia plantis.

- Hanc ego mox tali fugientem voce secutus
 150 „Quis te, quis superas, umbra errabunda, sub auras
 Extulit et nostros iubet inquietare penates?
 An movet haec calidus fugientia corpora sanguis,
 Fingere vel falsos potuit sibi spiritus artus?
 Cogitur ad superas quotiens ascendere terras?
 155 Vera refer! Mox inferias tibi rite paremus,
 Si quo transactam foedasti crimine vitam.“
 Haec ego. At umbra levem festinans prendere portam
 Conticuit; crepitu sonuit mox ianua rauco
 Cardine corpoream nobis testata figuram.
 160 Ast ego: „Cur vivo fuerant mea territa vultu
 Pectora? Non alio me ludes tempore,“ dixi,
 „Umbra levis, nostrae te miscens nocte puellae!“

15. *Ad Vistulam fluvium ortum et exitum eius describens
 et de visontibus et eorum venationibus.*

- Vistula, Carpathi ducens radicibus ortum,
 Quae sua Pannoniis aurea dona ferunt,
 Hic ubi praecipiti consurgit vertice *κηρυκός*
 Pulsans aetherium per iuga celsa polum;
 5 Inde citus triplicem Cracovinam tendis ad urbem
 Sarmatici regis moenia celsa rigans;
 Hinc Mašovina vagus te obliquas maior in arva,
 Qua patet Hercyniae portio vasta meae,
 Horrida villosos quae pascit sola visontes
 10 Et validos uros, monstra stupenda ferae;
 Belua vasta micans oculis et cornibus uncis
 Et nigrum hirsutam corpus habet faciem.
 Pendula promissis gestat palearia villis,
 Quis strumae in morem guttura crassa tument.
 15 Cornibus elatis venientem occursat in hostem
 Et iacit in caelum corpora presa vagum.
 Arboreos truncos annosaeque robora, quercum
 Ventilat, ut vibrat per vaga rura caput.
 Quam cum venator rigidis prosternere silvis
 20 Apparât, hanc pulchro decipit ingenio:
 Nam primum hanc iaculis, tento vel provocat arcu,
 Ut furiat laesis belua cruda toris.
 Inde citus capit ille fugam se robore tutans,
 Quod petit impactis cornibus illa suis.
 25 Se prensisse putans fugitivum cornibus hostem
 Saevit et in gyrum robora vasta terens.
 Ille feram trunco se tutans saepe lacessit.
 Figit et in taetram spicula saeva cutem.
 Sic ubi iam toto lassatae corpore vires,
 30 Cessit et exanimis impetus ille ferus.

- Mox alii circum iam stantes more coronae
 Conficiunt iaculis corpora vasta suis. —
 Hinc propior Codano Prussiae tendis ad urbes,
 Vistula, Teutonicae litora gentis habens,
 35 Quae nunc Sarmatico servit malefida tyranno
 Germanum dominum forte perosa suum.
 Hic multas urbes validas construxit et arces
 Teutonicus miles pallia flava gerens,
 Scilicet ut Scythicos possit retinere tumultus,
 40 Effera barbaries dum sua castra movet.
 Urbs ibi Torna suas tollit sub sidera tures
 Et Mariaeburgum, maximum in orbe decus,
 Quod vagus in triplici circumdas, Vistula, fossa
 In Codanum triplici plurimus ore fluens.
 45 Hic ubi praeclaro munita est Prussia portu
 Urbibus et populis dives in orbe micans,
 Quas inter claro Dantiscum lumine surgit,
 Qualiter Eois, Phoebe, resurgis aquis.
 Sed quondam Gedonum Gothorum a nomine dictum
 50 Hincque sinus Codanus nomina clarus habet.
 Ad cuius tractum bellum memorabile gestum est
 Inter Teutonicos Polonicosque viros.
 Heu, pudet : averso parta est victoria Marte
 Hostibus, ut barbas desecare truces. —
 55 Vistula, Germanae quondam ceu terminus orae,
 Sic mihi iam fesso finis amoris eris
 Et veluti excedit, qui accepit vulnera bello,
 Sic cedo primo laesus amore puer.

LIBER II.,

qui Danubius seu adolescentia vel Elsula Norica
 et latus Germaniae meridionale inscribitur.

1. Ad Hasilinam desideria sua absens commemorans.

- Tincta meis lacrimis tibi tristis epistola nostra
 Iam venit et queritur te procul esse mihi,
 Nam tibi cum primam Phoebus signaverit umbram,
 Auroram roseis tunc ego cerno rotis.
 5 Forte subirascens rescribes : „Perfide Celtis,
 Foedera rupta tibi, ruptus et altus amor.
 Perfide, Sarmaticis abiisti nuper ab oris
 Nec mihi dixisti verba suprema : Vale !

- Perfide, nulla tibi fugienti foedera curae
10 Nostra, lovem totiens quae violata vocant.
Perfide, quid totiens iactabas, Celtis, amorem ?
Iam tua nota fides et pia cura mei !
Sic tua causa meam damnabit crimine culpam,
Hasula, Sarmatico quae decus omne solo.
15 O ego non potui longo praeventus amore
Dicere „in aeternum“ tunc „Hasilina, vale !“
Scilicet in verbis titubasset lingua supremis,
Vidisses lacrimis lumina plena meis,
Forsitan et toto fugissent corpore vires
20 Pulsus et ante oculos spiritus ille tuos.
Haec timui tacitum gestans modo pectore vulnus,
Dum tua sublati vultibus ora queror.
Seu mea purpureum mirentur lumina Phoebum,
Lucida seu caeli sidera nocte legam,
25 Mente subis, Hasilina, mihi cum corpore toto
Et placidi lusus et data verba iocis.
Occurris, quotiens Phoebea poemata vatum
Volvo vel ad resonam carmina pulso lyram ;
Occurris, quotiens pratis viridantibus erro,
30 Lustro vel umbrosum sole calente nemus,
Quo tecum, memini, molli consedimus herba
Pressaque in amplexu gramina lenta tuo ;
Occurris, quotiens repeto alta mente puellas
Sarmaticas, inter quas prior ore micas ;
35 Dum tua scripta lego servataque munera lustro,
Offert luminibus se tua forma meis ;
Occurris gelidae mihi semper tempore noctis
Et mea cum blandus corpora somnus habet ;
Candidior stellis tunc me tua fallit imago,
40 Ludit et in vano pectus amore tuo.
Quo feror infelix ? Quem, mens mea, concipis ignem ?
Es procul et nullam fers, meus ardor, opem.
Et forte infernas rapient me fata sub umbras,
Nusquam luminibus cara videnda meis.
45 Sed tua completo fuerint ubi stamina fuso
Et quocumque loco Gnosius esse iubet,
Te mea complexu comitabitur umbra tenaci,
Semper et haerebunt idola nostra simul.
Cumque iterum ad superas nos Iuppiter evocet auras,
50 Rursus deliciis perfruar ipse tuis.
Felix Sarmaticas si numquam Celtis in oras
Venissem, o felix terque quaterque forem !
Non ego iam caram quererem mihi abesse puellam
Nec mea corda ferus discrucicaret amor.
55 Sed quid ego sterilem malesanus nutrio flammam,
Quam tua vel saltem scripta levare queunt ?

Absentem scriptis ubi te soleris amantem,
 Languidulo forsitan mitior ignis erit.
 Dum vaga lucifluo discurrent sidera caelo
 60 Et Phoebus liquidas exit et intrat aquas,
 Dum freta caeruleo pulsabunt litora fluctu
 Et sua gramineus lilia campus habet,
 Te pia posteritas canet, admiretur et ornet,
 Hasula, Sarmatico quae decus omne polo !

2. *Ad se ipsum,*
quod amore relegato ad philosophiam se conferre velit.

Postquam Sarmaticis remeassem Celtis ab oris
 Fataque Germano me statuere solo,
 Constitui nocuas animi depellere curas
 Nullaque iam Veneris vincula velle pati
 5 Femineas artes, mulierum et verba perosus
 Et male concordēs in mea vota deos.
 Et dixi tumidis Hasilinae fraudibus actus :
 „In portu reducem dente ligabo ratem !
 Liberum in aethērios animum modo ferre meatus
 10 Astrorumque vias prendere mente iuvat.
 Quis deus hanc molem tanta vertigine verset?
 Cur septem adversa iusserit ire via,
 Ut nunc aestivum Cancrī nitantur in axem
 Et modo regna petant, quae Capricornus habet,
 15 Nuncque retrocedunt et nunc directā feruntur,
 Nunc stant exigua desidiosa mora?
 An ne chaos varias hac induit arte figuras
 Et renovent species corpora prima suas,
 Quaque suas facies totiēns natura reformat
 20 Cunctaque mutantur, quae vagus orbis habet ?
 Quis numerus stellis quisve ambitus orbibus ipsis
 Et spatium, quanto et tempore quisquis eat ?
 Cur nunc Libra pares faciant et Laniger horas,
 Cancer et aestivo proroget axe diem,
 25 Parte alia Aegoceros pluvium declivis in austrum
 Noctibus hibernis tempora longa ferat ?
 Quid Solem inficiat Lunamque, ut vultibus atris
 Portendant miseris tristia signa plagis ?
 Cornua cur Lunae, dum tendunt Solis ad ortum,
 30 Iam suus aspectus praeterit oppositus,
 Ast ubi in occasum sinuoso lumine tendit,
 In coitu fratris iam vaga Luna fuit ?
 Quae nostri natura animi, quae libera mole
 Corporea celsum an sit subitura polum ?
 35 An Phlegethontēas fallaci carmine poenas
 Sentiat et triplicis dira venena canis ?

- Cumque animum nullum poterit comprehendere corpus,
 Liber in aetherias quin volet ille plagas,
 An fuerit melius corpus formasse Gigantis
 40 Et non Pygmaei membra dedisse brevis ?
 Corpore tam parvo nequit exercere vigorem
 Atque animus vires nescit habere suas,
 Quattuor ut magnus genitalia corpora mundus
 Contineat propriis consociata locis,
 45 Quae sua confuso miscent vaga semina motu,
 Temperat ut virtus illa superna poli.
 Hinc variae gentes linguaeque et sparsa per orbem^{*}
 Flumina, quae celsis montibus orta cadunt,
 Inter quos surgit quadrifluvialibus undis,
 50 Qui caput Hercynii dicitur esse iugi,
 Pinifer, hinc Boemos qui tangit et inde Turogos
 Et Francos, Bavari et ditia rura soli.“
 Haec postquam angusta mecum sub mente revolvi,
 Venit Amor blanda talia voce canens
 55 „Quid tua perpetuis crucias modo pectora curis
 Naturae leges prendere mente volens ?
 Linque deo tacitas naturae reddere causas,
 Maxima pars veri pectora vestra latet.
 Omnia, quae modo nata vides, labentibus annis
 60 Invida Lethaeis Parca vocabit aquis.
 Ergo iterum laetus duce me sectere puellas,
 Ipse tuam navem per freta magna regam !“
 Dixit et excusso fixit mea pectora ferro,
 Tela Cupidinei blanda fuere dei.

3. *Quod Hasilina oblitterata
 Elsulam Noricam amare velit.*

- Nota mihi nondum fueras, Hasilina, putabam
 Felicem tumido captum in amore tuo.
 Quam placido, dixi, consumit tempore vitam,
 Qui sibi tam lepidum pignus amoris alit !
 5 Cognita sed tandem simulantia pectora amorem,
 Ingenium, fraudes et male sarta fides,
 Docta quibus stolidum solita es deludere amantem,
 Ut captus votis serviat ille tuis.
 Vota quidem dixi, non quae speramus amantes,
 10 Sed quae sunt oculis displicitura meis.
 Non ego te Tyriis ornabo, perfida, pallis,
 Vellera nec tribuam candidiora nive.
 Alter Hyperboreas mittat tibi munera pelles
 Et quas Riphaeo vertice moscus habet.
 15 Non Poenum madrumve dabo mollemve sabellum
 Nec te, qui limbos, hermule, vestis habes.

- Pactoli dabit alter opes et Hydaspis arenas,
 Quicquid et effundit divitis unda Tagi,
 Vel tribuat fulvum, formica quod egerit, aurum
 20 Inda vel Arctous quod mage gryphus amat.
 Et si non cuperes peregrinae munera mercis,
 Nata apud Almanos non tibi dona darem
 Rhenus habet fulvum, quod fertur Alpibus, aurum,
 Argenti venis Teutonis ora scatet ;
 25 Unio cum gemmis Moeno reperitur in amne,
 Divitias multas Albis et Hister habet.
 Has tibi dent, falso quos irretiris amore,
 Non ego, sed tribuat stultus adulter iners.
 Nocte dieque miser gemat ad tua limina servus,
 30 Perferat et fastus plenaque verba dolis.
 Ast ego perpetuo quaeram mihi pectora nexu
 Et mecum parili quae sub amore calent,
 Hic ubi per bibulas impellitur Hister arenas
 Norica Pannoniis proxima rura rigans,
 35 Huic vitam corpusque meum cum dote perenni
 Carius et si quid candidus ipse dabo.

4. *Hodoeporicon a Sarmatia per Slesiam, Boemos et
 Moravos et quae flumina ab illis exeant.*

- Nuper ab Eois remearem ut Celtis ab oris
 Laetus in austrinas me referendo plagas,
 Exceptus fueram per terram divitis arvi,
 Qua Praga vitiferis collibus alta micat,
 5 Cingitur Hercynio quo laeta Boemia saltu
 Teutonicas gentes undique clausa videns.
 Qualiter in Graiis memorantur Thessala regnis
 Tempe sub Emathiis saepta fuisse iugis,
 Taliter Almanis se laeta Boemia terris
 10 Erigit et largis flumina fundit aquis.
 Hic Bohuslaus habet sua candida tecta Boemus,
 Musarum et patriae fulgida stella suae.
 Albis Germanum cum Molda fertur in aequor,
 Molda, Pragam pulchris qui secat altus aquis.
 15 Sed medias Albis Germanas dividit oras
 Et secat in partes Teutona regna duas.
 Hic ubi Misnensis celeberrima regia surgit,
 Arcem et quae templum continet alta sacrum.
 Hospitii qui iura mihi hac servavit in urbe
 20 Pragensi, tenera prole beatus erat ;
 Nondum bis quinos Lunae compleverat annos,
 Absumpsit decimum sed tamen illa deum.
 „O fortem,” dixi, „gentem, quam nemo domabit,
 Dum vorat a prima luce beata deos !“

- 25 Hic praesul fuerat Iudaeo sanguine cretus,
 Qui mihi non poterat verba Latina dare.
 „O dignam,” dixi, „tam docto praesule gentem,
 Qui mihi non potuit verba Latina loqui!”
 Sed quia non lingua celebrantur sacra Latina,
 30 Quilibet hic praesul rusticus esse potest.
 Hic Odera, a priscis qui nomina Suevus habebat,
 Nascitur et Codani praecipitatur aquis.
 Suevus, qui Slesum socium sibi convocat amnem,
 A quo nunc nomen Slesia terra gerit.
 35 Slesia, quae pulchris habet oppida condita muris,
 Visa caput quorum culta Vratislavia.
 Hinc Moravinus ager pluvium conversus in austrum
 Marcomanes pingui sub regione fovet.
 Hic Augustinus vates Olomuncius ortus
 40 Pannonii regis bellica gesta canit.
 Hic Igla cum Deo tumidum emittuntur ad Histrum
 Et Mora, quae genti nomina clara dedit.
 Hic ubi Possonium consurgit turribus altis
 Limes Teutonicis Ungaricisque viris.
 45 Hinc Cambus tumidis nigrisque in fluctibus Illus
 Exit in Austriacas Pataviasque plagas.
 Norica rura petit Regus conversus in austrum,
 Qua Ratisponae moenia celsa micant.
 Hic ego ut aestivae dederam mea membra quieti,
 50 Surripuit mentem pulchra puella meam.

*5. Ad Elsulam Noricam cum horoscopo suo stellas de
prima magnitudine commemorans et signum aestivum.*

- Aestifer aethereo rutilat modo Cancer Olympo,
 Qui spatium lucis maius in orbe facit;
 Torrida vulnificis aperit Leo rictibus ora,
 Fervet et ignivomas quassat in axe iubas,
 5 Quem circum rabidos iaculatur Procyon aestus
 Et Canis aestivo corpora sole gravat.
 Horridus hinc gravidis flavescit campus aristas
 Falciferamque deam messor in arva vocat;
 Colligit in fasces avidus segmenta colonus
 10 Impiger, hibernas condit avarus opes.
 Ast ego quid faciam Bavara iam notus in urbe,
 Quam tumidus gelidis alluit Hister aquis,
 Cum mihi non faveant solito nunc carmine Musae
 Et torpent tacitae plectra canora lyrae?
 15 Elsula, sic me torret amor tuus omnibus horis
 Et plus Icaro me premit ille cane;
 Nec patitur tantos aestivo sole calores
 Messor, ubi flavam falce metit segetem,

- Candida, fervores mihi quantos, Elsula, praestas,
 20 Dum me sidereo lumine blanda feris.
 Nuper enim cunctos toto cum corpore sensus
 Praedata es nitidis visa puella comis.
 Candor inest manibus digitisque ex ordine longis
 Et superant Scythicas lactea colla nives.
 25 Dinumerare potes nigrantes corpore venas,
 Talis texturae est forma tenella tuae ;
 Fulva coma est atque ora rubent tibi, qualia fulgent
 Inter sanguineas alba ligustra rosas
 Aut quale in triplici splendet Thaumantias ore,
 30 Imbrifer aetherias pingit ut arcus aquas.
 Quid graciles suras memorem et vestigia plantae
 Et latera et pectus quaeque tacere decet ?
 Floridus in tenero lascivit corpore sanguis,
 Dentibus et niveis nobile cedit ebur.
 35 Nec faciem taceo, claris quae lucet ocellis,
 Nuntius ut magni fertur habere Iovis ;
 His quotiens mecum tacito colludis amore
 Luminibusque tuis lumina nostra feris,
 Mox mea vulnifico figis praecordia telo
 40 Et penetrant pectus spicula saeva meum.
 Saucia et in totis aegrescunt membra medullis
 Teque suam solam mens mea poscit opem.
 Seu mihi persuasi, quod me digneris amare,
 Seu fallor signis in mea vota datis,
 45 Quod si vera tuo deprendi signa rubore
 Nullaque sunt linguae verba profana tuae :
 Ipse tibi servus vel sim tuus, Elsula, frater
 Et si quid restat nomen amoris habens.
 Suscipito pignus fidei iam pectora nostra,
 50 Quae tibi perpetuis dedico temporibus !
 Tanta tibi ingenuo morum stat gratia vultu
 Et tantum probitas simplicitasque placet.
 Nulla poetarum poterunt te carmina digne
 Dicere vel laudes commemorare tuas,
 55 Inter Germanas dum fulges sola puellas,
 Agmine stellarum Cynthia quale solet,
 Haec ubi fraterno deponit cornua vultu
 Et coit in nitidum forma rotunda globum.
 Regia fulminei pallescit stella Leonis
 60 Spicaque cum Iugulis, cedit uterque Canis ;
 Quaeque micat torvi radiosa fronte Iuvenci,
 Pallet Hyas magnum numen amoris habens ;
 Eridani tunc stella latet sidusque serenum,
 Corpore quod nigro Scorpius ater habet ;
 65 Cumque suis Haedis volitans Auriga superbus
 Et Lyra, quae nostras iam tenet alma plagas ;

- Arcturus solitum tunc ponit luce nitorem
 Atque oculus Piscis exuit omne decus.
 Interit atque, Indis quae lucet nocte, Canopus,
 70 Tunc quoque Centauri stella serena latet.
 Crediderim ex illis unam micuisse sub ortu,
 Elsula, dum vitae sunt data fila tuae:
 Taurus erat, blanda rutilat cui fronte Cupido,
 Ille tibi primo cardine fila dedit.
 75 Phoebus et in nona caeli tibi parte refulgens
 Cultorem Phoebi strinxit amore tibi.
 Iuppiter in medio stabat tunc laetus Olympo
 Et Venus in gremio luserat alma suo.
 Hi tibi finxerunt speciosi corporis artus
 80 Atque animum radiis composuere suis,
 Cuius ego tacito fuerim si dignus amore,
 Nectar et ambrosiam posthabuisse velim.

6. Ad Elsulam

interlunio apud sacerdotem latentem.

- Sex modo Phoebeos Aurora retexuit orbes
 Et nova, quae latuit, cornua Luna gerit,
 Elsula, dum Celti totam quaesita per urbem es,
 Quo tandem fueras, perfida, fare, loco?
 5 Aut mox destructo feriam tua pectora ferro,
 Perfida, quod nostrum deserit ecce latus.
 „Quid tibi? Quid Celti? Quo me vestigia ducant?
 An ratio nostri sit tibi danda tori?“
 Pro superos! Audes mihi talia reddere verba
 10 Confidens formae, stulta puella, tuae?
 Experiere tuo iam maxima verbera tergo,
 Nullus et in toto vertice crinis erit!
 Quid clamas tremula poscens tua numina voce?
 Perfidiae ultores cernis adesse deos.
 15 Execrare meam non cessas, perfida, vitam?
 Ille etiam pugnus garrula labra domet.
 Visne relaxatis nunc, perfida, dicere labris,
 Quis tanto iniecit tempore vincla tibi?
 Vel tua qui totiens defoedat fulcra sacerdos?
 20 Iuppiter huic dederit, quod cadat ante diem!
 Nulla sacerdotum luxu nunc casta puella est
 Causaque criminibus sunt sacra templa suis.
 Nam plures totum non congregarentur in annum,
 Illis colloquium dat modo sacra domus.
 25 Hac tractant foedas turpi cum murmure merces,
 Ceu solet in medio turba profana foro.
 Iuppiter, hoc poteris sacras audire per aras
 Et non fulminea concutere arma manu?

- Dum loquitur nostrae submissa voce puellae
 30 Flamen in auriculas talia verba serens
 „Elsula, Rhenani nunc est mihi copia Bacchi
 Statque mea in lautis crassa popina cibus :
 Est perdix et oryx, turdus, capus et phasianus
 Et lepus et cervus, dorcas ibexque salax,
 35 Qui mihi de celsis nuper fuit Alpibus actus,
 Oenus ubi atque Athesis murmura rauca facit,
 Argenti aeterno scaturit qua vena metallo
 Et ditat totam patriam Alemanicam.
 Hic halant liquido puro et de fonte salinae
 40 Ditantes Bavaros Austriacosque duces.
 Hic turba est taetrae nigraeque simillima morti,
 Qui solvunt vastis ignibus aera suis.
 Haud credas nostris decocta metalla per ignem,
 Sed Phlegethonteis mundificata vadis.
 45 Vel tibi si piscis placeat fluvialis, ab Histro
 Pinguis esox veniet, cancer et omne fretum.
 Nemo meas veniet te gratior hospes in aedes
 Et cui constitui munera tanta dare.
 Ergo veni, sacris quia digna recumbere mensis,
 50 Cynthius occiduis dum iuga demet equis.“
 Vulgus iners sacra de religione deorum
 Deque metu superum verba locuta putat.
 Sed rudibus populis illudunt numina caeli
 Excusatque sacros culpa tacenda viros.
 55 Utque deae quondam fuerant simulacra silentis,
 Quae pressit digitis muta labella suis,
 Haec modo sacrorum cohibet reticere virorum
 Delicta in caelum dicere verba vetans.
 Gregorius primi Friderici tempore regni
 60 O quantum incauti pectoris egit opus !
 Ille sacris vetuit caelebs connubia lectis,
 Liberior vitiis ut sacra vita foret.
 Nullus enim pudor est teneras violare puellas
 Et neque legitimas sollicitare faces.
 65 Quique uno quondam fuerat contentus amore,
 Ille modo plures rite fovere potest.
 Inde pater sanctus numerosa prole beatur
 Legitimans nummis pignora spurca suis,
 Pignora, quae luxus semperque superbia patris
 70 Et sacrae matris saeva libido coquit.
 Cumque dei suboles pater est, sese ille nepotem
 Praedicat et summi progeniem esse lovis.
 Quodque magis turpe est, sacratae filius aedis
 Laudes a stupris gestit habere suis.
 75 Illorum nihil est quia pene salacius orbe
 Et gula, quae nullis est satiata cibus.

- Plena mea his patria est et plenus Rhēnus et Hister,
 Vistula et Arctoi litora curva maris.
 O sacer et magno nummus venerandus amore,
 80 Quo duce legitimus spurius esse potest !
 Iulia lex rasa est, nostro dum tempore quisquis
 Natus adulterio nobilis esse potest.
 Sit quamvis cunctis in legibus omnia Caesar,
 Debuit hoc saltem non licuisse sibi.
 85 Interea molles repetamus carmine versus,
 Elsula, quo coeptus continetur amor.
 Hei mihi, qua steterat caeli Venus aurea parte,
 Praeda fuit rasis semper amata mihi,
 Vel qui Martis equos et fortia castra secutus
 90 Contorquens rigida spicula saeva manu.
 Invida dissidii semper sed causa sacerdos,
 Nam capitur nummis quaeque puella sacris,
 Et quas semper habent pingui nidore culinas
 Thyrsigerumque deum lenta verenda movens ;
 95 Hinc quas nemo potest umquam exhaustire crumenas,
 Has pretium sanctae femina noctis habet.
 Sed me Tartareas Pluto iam mittat ad umbras,
 Elsula, si noster continetur amor !
 Quam bene pertaesum est animique elanguit aestus !
 100 Pono lovem testem, si mihi cura tui est !
 Ipse aliam inveniam, cui sunt mea carmina curae
 Quaeque meis libris nomen habere cupit.
 Tuque vale et nostris excedas, perfida, tectis,
 Clausa sit aeterno et ianua nostra tibi !
 105 Ipse sitim mallet lapidosos ferre per agros,
 Dum sua per Cancrum lumina Phoebus agit,
 Hic ubi trans Histrum per Norica rura colonus
 Saxa inter triugis aratra ducit equis
 Et nulli siccis fontes oriuntur in arvis,
 110 Cisternis stantes ore bibuntur aquae,
 Hercyniove petam satius sub vertice silvam,
 Aspera et Abnobiis saxa crepidinibus,
 Quam te, quae totiens violasti foedus amoris
 Cum tot furtivis in mea damna dolis.

7. Ad Elsulam

falso se excusantem et reconciliantem.

- Herbarum vires nec amoris pocula coxi
 Nec strigis aut ranae viscera rupta mihi
 Et neque servavi, dederam ut tibi munera, caelum,
 Tristia depinxi nec simulacra poli,
 5 Ossa nec in vacuis collegi sparsa sepulcris,
 In cruce nec furis secta verenda tuli.

- Nec mihi mactata est volucris pellita per alas,
 Artibus Aeaeis nec tibi pectus ago
 Nec tibi Thessalico lymphavi carmine mentem,
 10 Elsula, nec magicis cantibus ipse premo,
 Importuna meas quod sic irrumpis in aedes,
 „Solius“ clamans „Celtis amore feror!
 Nec mihi lanifico placet insudare labori,
 Stamina nec pensis conglomerasse iuvat,
 15 Nec genitrix me cara potest revocare nec ipse
 Germanus, totiens qui mea terga domat.
 Taliter exagitat saevus mea pectora Celtis,
 Norica quem numquam rura subisse velim!“
 Dixit et implicuit nostro sua brachia collo,
 20 Presserat et labris basia blanda meis.
 Tunc ego : Praeteritas tibi numquam ignoscere culpas,
 Elsula, nec priscum foedus inire volo,
 Ni mihi nunc pandas, cuius sub amore iacebas,
 Quaesita in tota nuper ut urbe fores !
 25 „Est locus, aerias ubi Noricus excipit Alpes,
 Hic magnum numen Bavara terra colit,
 Hic ubi consurgit de septem sedibus una
 De salsa clarum nomen in orbe gerens,
 Quae quondam fuerat Romana Iuvavia dicta,
 30 Iuvit ut Italicos saeva per arma viros.
 Huc ego matronas nuper comitata pudicas
 Persolvi sanctae religionis iter.“
 Elsula, sic vafras iterum te vertis ad artes
 Obscurans nugis stupra pudenda tuis ?
 35 Taliter oëstri stimulis agitantibus lo
 Fertur Niliacis applicuisse plagis,
 Unde sacerdotum genus emigravit in orbem
 Isidis ad templum nocte dieque canens.
 Non fuit oëstrum vel vespa aut saevus asilus,
 40 Sed tumidus penis, quem sacra turba gerit.
 Quem propter furiunt nostrae nunc saepe puellae
 Discurruntque vagis pene agitante plagis.
 Et sacris simulant sese indormire grabatis,
 Paulina Anubis ceu sacra membra tulit.
 45 Multa superstitio mulierum fraudibus orta est
 Consueruntque novos fingere saepe deos,
 Inde per indoctum spargunt miracula vulgum,
 Cui semper novitas fictaque verba placent.
 Credula sed numquam praebebo pectora Celtis,
 50 Ingenium notum dum mihi femineum.
 Nam scio, te quanto complexus amore sacerdos
 Clausit et ad decimum presserat usque diem.
 Illa sed hoc lacrimis mox excusabat abortis
 Cum largo incipiens spargere rore genas.

- 55 Quale sub Arctoo reperitur litore glaesum,
 Quod Codanus toto solus in orbe vomit,
 Aut quale Eridani memorant electra fluenti,
 Talis erat niveis fervida gutta genis.
 Inque meum tandem gremium collapsa quievit,
 60 Phoebus ut Eois mane rediret equis.
 Inde mihi toto diffusa est corpore flamma,
 Traxit et antiquas lenta favilla faces
 Et mox prisca novas senserunt vulnera plagas
 Et liquidum veteri pectus amore fuit.
 65 Tale solet verno tellus liquescere sole,
 Dum gelidas solvunt sidera blanda nives.
 O ego sic placidae nunc conciliatus amicae
 Iam scio: Post rixas gratia quanta feras!
 Utque solet Phoebus, piceo dum conditur austro,
 70 Per sudum nitida gravior ire rota,
 Sic in amore deus simul ac fera proelia movit,
 Maiori flamma mutua corda ligat.
 Ast ego non alias vellem mihi surgere lites,
 Quam quas cum lacrimis Elsula nostra movet.

8. Ad Elsulam

obsequia sua et pericula amoris commemorat.

- Elsula, Regifluam rursus mala fama per urbem
 Spargitur et capiti non bene grata meo est,
 Scilicet ut solida tecum sit nocte sacerdos
 Et queritur tardos te sine ferre dies.
 5 Tuque illi propriam fido te pectore scribis,
 Dispeream, teneant si tua verba fidem!
 Te saltem pudeat formosum hoc vendere corpus
 Et passim rasis prostituisse viris,
 Qui populi peccata vorant et crimina mundi
 10 Et parentales februa dona dapes.
 An nescis sacros dona exequialia nummos
 Debere infernum rite piare Iovem?
 Hos tua profuso consumit inertia luxu,
 Dum Venerem et Bacchum nocte dieque colis.
 15 Prompta manus talo est, damnosa nec alea cessat,
 Donec sub media sidera nocte micant.
 Heu, quo demeruit, dic tandem, crimine Celtis,
 Tam subito cessit quod tibi noster amor?
 Ipse ego nam memini, per singula numina caeli
 20 Iurabas: „Celtis maxima cura mea est!
 Ante ferent vernos glacialis tempora flores,
 Sistet et etesiis flatibus Hister aquas,
 Ante meo cedent formoso a corpore vires,
 Quam tuus a nobis, Celtis, abibit amor!“

- 25 Elsula, Tartareas me sistat Pluto sub undas,
 Si credam verbis pondus inesse tuis!
 Nil nocet ex ficto tibi dicere pectore verba,
 Credula et in tacitis fallere corda dolis.
 Commune hoc didici cunctis nunc esse puellis,
 30 Quae testes scelerum numina saepe vocant.
 Si tamen, ut simulas nos indulgenter amare,
 Officiis partum est, Elsula, crede, meis.
 Nam quotiens duras hiberno tempore noctes
 Pervigil ad postes te remorante tuli,
 35 Dum tu laeta bibis madidis tua basia vendens
 Et versat talos nequitiosa manus.
 Ebria tunc etiam profers mea pignora amoris,
 Dum rutilat digitis annulus ille datus.
 Ah quotiens citharam digitis tibi pulso gelatis,
 40 Quae loquitur laudes carmine blanda tuas!
 Saepe ego huic similes vix possum iungere voces,
 Dum tremulos dentes concutit acre gelu.
 Cumque datur tandem cupidis amplexibus uti,
 Ipsa meum corpus mox refugis gelidum
 45 Avertisque tuum nostro de pectore pectus
 Nec gelidis digitis tangere membra sinis.
 Rivalis quotiens crudos expavimus enses,
 Ebrius ante fores dum canit ille tuas.
 Scis, quotiens tepidam cogebar linqere plumam,
 50 Saeviret nivea dum Capricornus aqua
 Et tellus crustata gelu cum cortice duro
 Offendit celeres in mea damna pedes.
 O quam dura deus conscribit sidera amantum!
 Est gravior tardo sidere blanda Venus.
 55 Sed tamen ingratae nobis sunt saepe puellae,
 Dum novus instabili pectore crescit amor.
 Adde, quod in nostris tua sunt iam nomina libris
 Et tua post mortem fama superstes erit
 Teque canet nostras Germania tota per urbes
 60 Et celebrent laudes oppida cuncta tuas.
 Quod si Germani fastidis dona poetae,
 Non mea in invitam munera ferre volo.
 Primus ego titulum gessi nomenque poetae,
 Caesareis manibus laurea nexa mihi.
 65 Grata minus quamvis vivi sint carmina vatis,
 Post mortem tamen his gratia maior erit.
 Inter mortales mors est, quae sola poetas
 Nobilitat; cineri tunc sacra fama venit.
 Et velut annosus iocundat pectora Bacchus,
 70 Cui dederat vires tempus habere suas,
 Carminibus nostris sic tempore gratia crescit
 Et sacer in populo concomitetur honos.

- Ergo, Germanae, vates adamate, puellae,
 Qui modo principibus sordida cura sumus.
- 75 Nota volent totum sic nomina vestra per orbem,
 Principibus nostris quod sacra Musa negat!
 Nam cum perventum est Germani ad principis aedes,
 Derident stolidi carmina nostra viri.
 Cumque meis monstror Germanis esse poeta,
- 80 Mox dicunt: „Nullas ille parabit opes!
 Insanus totam consumit carmine vitam
 Nec vult ad quaestum dirigere ingenium.
 Non verbis curare potest et vendere doses
 Nec vult rixoso spargere verba foro
- 85 Nec sibi cappato vult radi vertice testam,
 Expleat ut luxum crassa popina suum,
 Duraque legitimi fastidit gaudia lecti
 Et quae sollicito vota parente sedent.“
 Ast ego, Pierides, ditissima turba, sorores,
- 90 Vos sequar et nullas Celtis habebit opes,
 Scilicet ut nullus cupido mihi nummus in arca
 Imperet et post me gaudia nulla ferat.
 Doctaque posteritas superas me tollat in auras,
 Post mortem nostros dum legit illa libros,
- 95 Quo sibi plus placeam, quam si sestertia mille
 Liquissem aut curis Baltica regna meis.
 Vivus enim malo cum vivis spargere nummos,
 Quam mea post mortem dissipet alter iners.
 Utque dedit tenui caelum mihi vivere censu,
- 100 Et supra vulgum pectora nostra tulit.
 Sic vivam et nullo mecum sim tempore discors
 Teque canam nostris, Elsula flamma, libris!
 Cumque dies veniet, quo te tua fata vocabunt,
 Hoc carmen tibi mox exequiale feram:
- 105 „Elsula Germano quondam dilecta poetae
 Hic iacet hunc titulum vatis amore gerens.
 Prima ego Germanas sum decantata per urbes,
 Danubium Regus quaque Nabusque subit.
 Pieriae saliunt circum mea busta puellae
- 110 Et Phoebus lyricis consecrat ossa modis“
 Sed potius nostrum compones, Elsula, bustum,
 Nam te sublata non mihi vita placet.

9. Ad Elsulam

a priscis et sanctis Germaniae moribus degenerantem.

Elsula, quid tantis oneras tua brachia baccis,
 Aurea et in digitis vincula multa geris
 Ostrina sub veste tumens vultuque superbo
 Tricarum ingenti pondere pressa caput,

- 5 Noctua quale gerit, tenebrosae filia Noctis,
 Nyctimene patris consociata toro.
 Inque peregrinos flectis tua corpora motus,
 Dum strepitant mixtis buxus et aera sonis,
 Et totiens mutas lascivo corpore vestes,
 10 Ante retroque tibi lactea colla patent,
 Perque diem solidum convivia splendida curas
 Nec tua lassantur crura relisa solo.
 O mihi quot surgunt ferventi corde dolores,
 Dum pascis vultu lubrica quemque tuo!
 15 Cum timeam, roseis ne figant basia labris
 Audentes tenerum sollicitare femur,
 Dumque nates teretes contrectat barbara turba
 Et premitur manibus stricta papilla suis,
 Tunc vix conceptum compesco mente furorem,
 20 Quin feriat niveas pugnus utrasque genas.
 Quin etiam insano confundis pectora Baccho
 Et titubat multo garrula lingua mero.
 Linque merum et talos castis fugienda puellis
 Inque sinu tumidum suesce fovere colum!
 25 Disce latere domi patulisque sedere fenestris
 Effuge nec visu sis vagabunda tuo,
 Nam veluti volucres diversis nutibus ora
 Dum vertunt, nidos deseruisse volunt,
 Sic vaga dum vario dispargit lumina motu
 30 Femina, iam castum vult violare torum.
 Tali non quondam vixit Germania more,
 Dum pudor et sancti cura pudoris erat
 Castaque simplicitas non tanto perdita luxu
 Per nemora et saltus concomitata greges.
 35 Rhenones fuerant rimosaque subera vestes
 Duraque contextit corpora vile sagum,
 Qualis Hyperboreo vivit nunc Sarmata caelo
 Et quae post Codanum sunt tria regna sinum.
 Nemo Germanos potuit tunc vincere bello
 40 Nec tulerant Latium turpiter imperium.
 Perfida non nostras rapuit tunc Gallia sponas
 Contemnens natam, Maxmiliane, tuam.
 Corpore maturo tunc nupsit mascula virgo,
 Quattuor ut lustris vita peracta fuit.
 45 Colloquium castum iuvenis servabat in agris
 Robustoque fuit corpore sera Venus.
 Sed nunc bis quinos ubi vix transegerit annos,
 In Venerem et Bacchum docta puella ruit,
 Cui nondum teretes fratrant in pectore mammae
 50 Nec tenera angustum lana foramen habet,
 Illius humorem nec menstrua Luna fatigat,
 Dum recipit plenum fratris ab ore globum.

- Nemo hic amplexus ob mutua gaudia sumit
 Inque vicem nemo basia blanda rapit,
 65 Expleat ut tantum conceptum mente furorem
 Et fricet angustum pene furente specum.
 Si maribus coeas vel eisdem forte puellis,
 Parvum discrimen turpe tenebit opus.
 Elicit urinam hic olidam, alter podice stercus,
 70 Hunc furor ante regit, sed molit ille retro.
 Quam vereor, serpat nostras hic morbus in oras,
 Quandoquidem luxus nos tenet Italicus,
 Qui maris implumes audet convellere coxas
 Et pueri glabras saevus inire nates
 85 Quique ministerio manuum genitale fatigat,
 Huic, credas, lecto raro puella placet.
 Mos erat uxori castum servasse cubile,
 Ut framea et sonipes constitit ante fores.
 Tunc firmus iuvenis robustam corpore prolem
 70 Sustulit et matris pastus ab uberibus ;
 Lactantis nemo nutricis nomina novit,
 Quae prolem cogit degenerare satam.
 Arborei fetus et agrestia munera caules
 Et rapum teneris faucibus esca fuit.
 75 Pars hominum glandes, placidas pars maxima fagos
 Et Cererem festa non nisi lance dabant,
 Tunc laridum crudum fumosa in crate repostum
 Et lac concretum splendida cena fuit.
 Nullus Germanis crevit tunc Bacchus in oris,
 80 Sed potus madida fruge beatus erat ;
 Ille dabat vires solidos et corpore nervos
 Ebriaque ex humulo semina pauca tulit.
 Tunc puls ingentes implevit crassa patellas,
 Quam circum coniunx et numerosa domus.
 85 Rarus erat morbus peregrinaque semina nulla
 Nec medicus tantas hausit avarus opes.
 Nullus erat talis ludus, nunc qualis in orbe est,
 Qui bis dena ducum milia nocte vorat ;
 Perdidit haec nuper Francorum praesul in urbe
 90 Castor, Plutoni dum pia sacra facit.
 Inde suis miseris nova vectigalia scribunt
 Pensantes censu cuncta elementa suo ;
 Hi caelo et nitidum possent si prendere solem,
 A censu liber non foret ille suo.
 95 Nullus erat morbus, quateret qui corporis artus.
 Vel qui contractos frangeret articulos.
 Sed postquam luxus nostras migravit in oras
 Et Venere et Baccho singula tecta calent,
 Hinc varios morbos patitur proclivior aetas
 100 Milleque nunc animas crapula saeva necat.

- Caespite tunc patrio dicebat iura colonus
 Armaque iustitiae iuncta fuere suae ;
 Nec tot iudicibus, tabulis nec tot patronis
 Nec strepitu tanto causa relata fuit.
- 105 Nemo fuit servus stabulis hoc tempore Romae
 Expectans Latiae iura superba Rotae,
 Nec recutitus erat, nostro qui fenore vivit
 Expilans nostras insatiatus opes.
 Nullus erat nummus signatus principis ore,
- 110 Foeda nec alterius stupra reperta toris
 Libera per vastas ibant tunc flumina terras
 Et tot discordes non aluere duces.
 Fenus et usuram nemo illo in tempore norat,
 Dum patrio tantum caespite victus erat.
- 115 Zingiber et crudum piper et crocus et cinamonum
 Instrumenta gulae fugerat ora ducum.
 Nullus erat tali caelo mercator in orbe
 Nec naves Rhenus Danubiusque tulit,
 Suevus et Arctoas impinguans Vistula terras
- 120 Et Codano flavis proximus Albis aquis
 Quique Metanastum vagus irrigat arva Tibiscus,
 A septem castris dicta ubi terra patet,
 Terra per Almanos hodie et possessa colonos,
 Pannoni regis quam iuga foeda premunt.
- 125 Hic Piso est, docto qui scribit carmine versus,
 Editus et lauro tempora cincta gerens.
 Tunc centum stabant marato caespite pagi
 Hospitibusque vagis libera farra dabant.
 Absumptisque illis alias migrabat in aedes
- 130 Hospes et agrestes composuere dapes.
 Tum primum memorant, ut gaudia mutua ferrent,
 Mutua sollicitis pocula lata scyphis.
 Hoc (virtus quondam) vitium nunc surgit in orbe,
 Dum superat vires prodigiosa sitis.
- 135 Horrida tunc rarus fuerat per rura sacerdos,
 Terra peregrinis nec fuit acta deis.
 Sed druides castis cecinerunt carmina silvis,
 Carmina Teutonico quae placuere deo.
 Nemo Italos novit, voluit nec nosse penates,
- 140 Qui totiens nostris aera tulere plagis ;
 Sed deus unus erat, a quo sunt nomina genti,
 Hic cultus patria religione fuit.
 Hic non poscebat sibi pendere caseum et ovum
 Nec butyrum nobis vendidit ille deus.
- 145 Hinc Karoli, Heinrici, Conradi Ottonaque proles,
 Ludvici et nomen qui Fridericus habent
 Et qui nunc gentis custos et gloria summa est,
 Maximus Aemilius nomen in astra ferens.

- Illorum cunctas implevit gloria terras,
 150 Quas tribus immensus partibus orbis habet.
 Sed quoniam nullas habuit tunc terra Camenas,
 Idcirco laudes non habuere suas.
 O sacer et magnus vatum labor, omnia fato
 Eripis et cineres solus in astra locas !

10. *Ad Elsulam,*
ut natalicium sibi convivium instruat.

- Elsula cara, tuas veniam cras laetus ina edes,
 Phoebus ubi Libycas mersus habebit aquas ;
 Quippe ego in hac numero terdenas nocte Calendas
 Febrilis mensis, dum mihi vita data est.
 5 Quapropter cultas componas, Elsula, mappas
 Fornacemque cavam plurimus ignis alat.
 Cerea quin etiam redituro lumina Phoebō
 Accende et ceram carmina bina notent :
 Phoebe, sub aëria qui stas modo candidus Urna,
 10 Luce salutari cras tuus orbis eat !
 Fervida tum primum vidit tua lumina Celtis,
 Fluctibus Eois quando renatus eras.
 Hinc Baccho compone scyphos paterasque capaces
 Plenaque stent vario stannea vasa mero.
 15 Illud cum Coō iubeas spumare Falernoque
 Et Tergestino cantharus ille fluat.
 Oppano reliquos repleas et Draminiano
 Vel quod Feldlini terra beata creat .
 Alter Helvetium, Rhenanum conferat ille,
 20 Hic Cetium vel quod Francia nostra creat.
 Francia Germano mihi stirps et origo poetæ
 Hercyniæ medio cincta beata sinu,
 Quam Moenus mediam perlambit vitifer oram,
 Cuius quadrifluo nascitur unda iugo :
 25 Pinifer est, cuius de vertice flumina quattuor
 Quattuor in partes orbis amoena cadunt.
 Moenus ad occasum Francorum fertur in oras,
 Sala sed Arctois perditur Albis aquis,
 Egra sed Eoi petit ardua regna Boemi,
 30 Sed Nabus Histrinis insinuaturs aquis.
 Triticeum Cereri componas, Elsula, panem
 Atque focus varios concoquat igne cibos.
 Haec ubi cuncta meo constabunt iussa tenore
 Et nitet in cunctis partibus ipsa domus,
 35 Ipse ego tunc veniam caris comitatus amicis
 Et genio solitas sacrificabo dapes.
 Quas inter laeti certemus reddere causas
 Naturæ et magni quaerere iura poli :

- In tres divisit partes quis pondera terrae
 40 Per Nilum et Tanain per mediumque fretum,
 Quis numeros stellis, quis primus nomina fecit,
 Quis septem adversa prendidit ire via,
 Saturnus timido, laeto et cur Iuppiter astro,
 Mars furibundus eat Mercuriusque sagax,
 45 Ut Venus adstringat cupidorum pectora amantum
 Et sociat nexu cuncta elementa suo,
 Quo caelum sub amore meat tellusque quiescit
 Et generant species foedere iuncta suas?
 Hoc citharam blandis fidibus resonare iubebo
 50 Coniungens chordis carmina nostra suis.
 Tunc terram tremulo pulsabunt corpore plantae
 Et varios orbes laeta chorea reget.
 Pulchrius ignifluo nihil est sub sole creatum,
 Quam relevans curas blanda puella graves.
 55 Interea ternos cyathos tibi Gratia praestat
 Vertere, sed Musae dant mihi rite novem
 Et Phoebus decimum calicem mihi forte favebit,
 Phoebus qui media temperat astra via.
 Sic postquam caeli fuerint duo signa peracta
 60 Et languent multo corpora pressa mero,
 Elsula, dic proprias convivas ire sub aedes
 Meque iube ad lectum pergere cauta tuum,
 Quo totiens blandos suscepi corpore somnos
 Et quo mille tibi basia saepe dedi
 65 Quoque iterum tibi mille dabo natalibus horis,
 Auspicio felix totus ut annus eat.
 Cumque sua Phoebus natali lampade surgit
 Meque tuum cogit linquere luce sinum,
 Tunc tu cum lacrimis circum mea pectora pendens
 70 Hos mihi versiculos in mea fata canes:
 „Iuppiter aeternos tribuat tibi, Celtis, honores
 Nec tibi Mars noceat nec gravis ille senex,
 Mercurius citharam, faveat tibi carmina Phoebus
 Nostraque contineat mutua corda Venus!“

*11. Narrat insomnium suum de Elsula,
 priusquam Norico excesserat.*

- Abdidit Herculeas vaga lumina Phoebus in undas
 Et Nox stelligerum protulit atra caput,
 Ipse ego iam fesso recubabam corpore lecto,
 Clauserat atque oculos somnus utrosque meos.
 5 Forte puellaris tunc est mihi visa figura
 Et stetit ante oculos Elsula cara meos.
 Seu sopor illud erat, seu mens sibi fingere tales
 Consuevit tenues irrequieta notas?

- Stabat purpureos humeris laniata capillos
 10 Et largo roseas sparserat imbre genas.
 Talis Atlanteas hebetat cum Luna sororès,
 Plurimus aetheriis funditur imber aquis.
 Vixque mihi tandem haec dedit udis verba labellis:
 „Me miseram! Celtis, quo tuus ibit amor?
 15 Nam pater Heliadum ternos ubi fecerit ortus,
 Audio te nostram linquere velle plagam.
 O ego non possum tantos tolerare dolores,
 Si statues tacita, Celtis, abire fuga!
 Meque tibi solam per Norica culta relictam
 20 Intempestivam cogis adire necem.
 Murmure quis blando longae mihi taedia noctis
 Auferet et dulci carmina voce canet?
 Carmina quae placido cantet Germania vultu,
 Candida dum laetus pectora Bacchus habet.
 25 Immemor officii nostroque ingratus amori es!
 Perfide, sic nostro dignus eras thalamo?
 Saepe mihi exprobras Hasilinae, perfide, fraudes:
 Iam data sunt culpae maxima signa tuae,
 Perfide, dum varias erras, fugitive, per oras
 30 Decipiturque tuis quaeque puella dolis.
 Saga loquax nuper dixit mihi vera: „Caveto,
 Elsula, ne Celtis decipiari dolis,
 Qui tibi blandiloquis seducit pectora verbis
 Sollicitans resonae plectra sonora lyrae.
 35 Huic, ego iam moneo, nimium te credere noli,
 Errat enim et toto est semper in orbe vagus.
 Dumque utero tenerum fecit tibi crescere pondus,
 Ille solet tacita cautus abire fuga.
 Et quod praedixit, sum nunc experta misella,
 40 Dum servat nullam subdola lingua fidem.
 Perfide, qua fueris tandem regione receptus,
 Invenies nullam (crede mihi) similem!
 Tunc totiens maesta versabitur Elsula mente
 Nec cadet ex animo Norica terra tuo.
 45 Spero tamen (nec vana loquor) venturum aliquando,
 Vindicet ut latro meque tuosque dolos.
 Sed prius experiar magicos intendere cantus,
 Ut sistam celeres in tua vota pedes.
 Pars animae, consiste, meae! Sit cura pericli,
 50 Per nemorum latebras ne latro te feriat!
 Per lacrimas precor ipsa meas et foedera amantum
 Perque tuam, dederas quam mihi saepe, fidem.
 Per mea si placido dederam tibi basia lecto
 Amplexusque meos, quae tibi blanda tuli,
 55 Perque meum primum tibi quem rapuisse pudorem
 Suaserat aequoreo diva creata salo,

- Perque meos tandem canos utrosque parentes
 Et prope maturum, quod gero, ventris onus :
 Siste gradum coeptumque regas modo, Celtis, amorem,
 60 Ne capiat foedas candida fama notas !
 Ni facias, furiosa sequar per inhospita saxa,
 Maxima Boiorum qua solitudo patet
 Algionesque truces ubi vastas terra paludes
 Norica Rhaeteis proxima fundit agris,
 65 Inter quas lacus est Tegerinus nomine claro,
 Stillat ubi sacrum petra arenosa oleum,
 Per bibulas tandem sensim hoc colatur arenas
 Et sabulum, venis quod fluit inde suis.
 Succina crediderim sic nasci aquilonibus oris
 70 Delata a lucis, quod vomit inde salum.
 Inde Chimerinus medias duo templa per undas
 Tollens, quis psallit femina virque deo.
 Perque lacus alios, pariunt quos imbris Alpes,
 Si fugies, Celtis, te furiosa sequar.
 75 Nec me Danubii retinet cataracta sonori,
 Inter ubi scopulos et cava saxa sonat.
 Vel (mihi quod melius) si te contingat abire,
 Iste mihi gladius finis amoris erit !"
 Dixerat et nostrum manibus comprehenderat ensem —
 80 Et iam Lethaeo litore somnus erat.
 Rhenus adest, dixi, Rhenum cantabimus amnem,
 Qui flos Germani dicitur esse soli.
 Iamque vale, aeterno tibi sum devinctus amore,
 Elsula, Danubii gloria magna tui !
 85 Sed prius Euxinis arcebitur Hister ab undis,
 Quam tuus a nostro pectore cedat amor.
 Separet et quamvis longum discrimen amantes,
 Sunt tamen aeterno pectora cara simul.

*12. Narrat se Calendis Martiis a latronibus duobus
atrociter verberatum et spoliatum.*

- Nemo diu poterit sese obiectare periclis
 Perque orbem tutas semper habere vias,
 Ingruat adverso quin sors aliquando tenore
 Vertens instabilem mobilitate rotam.
 5 Omnia quae simili vivunt animalia forma
 Seu terris vel aquis aere vel liquido,
 Concordem ducunt sociali foedere vitam,
 Nec se vulneribus conficiunt variis.
 In milvum curvos milvus non asperat ungues,
 10 Nec lupus est visus dilacerasse lupum.
 Nec rana in ranam nec esox petit asper esocem :
 Dissimiles semper bella cruenta ferunt.

- Ast homini tanta est concessa licentia vitae,
 Contra hominem ut gladios armaque saeva paret,
 15 Intentatque truces rabioso pectore caedes,
 Argenti atque auri dum stimularit amor. —
 Tempus erat, verno quo currunt mense Calendae,
 Quae sua de crudo nomina Marte gerunt.
 Laetus ego Austriaca veniebam Celtis ab ora
 20 Norica amata mihi moenia forte petens,
 Quis meus ingenuus Vilibaldus Pirkhamer hospes
 Miscet cum Graeis verba Latina notis
 Atque alii multi sincera mente sodales,
 Quos sacra coniunxit philosophia mihi.
 25 Et iam Bavaricos liqui tutissimus agros
 Deque Ratispona Norica rura peto ;
 Iamque viam mediam confeci sospite cursu
 Vectus equo et tutum iam ratus esset iter.
 Est locus, inflexa colles ubi valle levantur,
 30 Densa et utrumque tegit pinea silva latus ;
 In medio angusto spatio via limite trita est
 Perque putres agros ducit aquosa lacus.
 Ecce, duo a silvis dextra laevaue latrones
 Prosiliunt gladiis cuspidibusque feris !
 35 Moxque caput valido primus mihi contudit ictu
 Et tergo ac humeris verbera saeva dedit,
 Verbera bis denis quae sunt conspecta diebus,
 Livida dum fuerat caesa cruore cutis.
 Captat equum freno retinens per lora secundus
 40 Intentans gladio vulnera saeva suo.
 Excussus sella iaceo resupinus in agro,
 Semianime et toto pectore corpus erat.
 Dum iaceo, hi subito rapiunt coriaria nostra,
 Cingulus hinc, rapta et pendula pera mihi,
 45 Quin etiam a digitis raptus fuit annulus auri
 Vittaque Pannoniis aurea texta plagis.
 Aufugiuntque suo repetentes more latebras
 Quaerentes auri pondera parva mei.
 Cumque auri magni spes illos forte fefellit,
 50 Mox redeunt celeres, haec mihi verba ferunt :
 „Siste pedes,“ clamant „nec equum conscende! iubemus;
 Nunc alia tecum est aggredienda via !
 Tercentum, scimus, quod gestas aurea frusta,
 Quae nisi dès nobis, iam, moriture, cadis !“
 55 Ore minax vultuque ferox comprehendit euntem
 Mox latro, qui rursus verbera saeva dedit.
 Duxit et in silvae socio comitante latebras
 Et mea prostravit corpora crudus humi
 Detraxitque meis ocreas de cruribus atrox
 60 Inquirens auri pondera tecta mei.

- Deinde meas torvo lustrabat lumine vestes
 Corporis explorans abdita quaeque mei.
 Cum nihil inveniunt gladiis mihi saepe minati,
 Constituunt subitam velle patrare necem.
- 65 „O socii“, (supplex ego tendo ad sidera palmas)
 „Parcite iam vitae, parcite, quaeso, meae!
 Vulnere nec nostris nunc inferte, obsecro, membris,
 Obsecro, nec vitam iam spoliare meam!
 Philosophus totum Celtis discuro per orbem
- 70 Divitiasque mihi philosophia negat.
 Omnia, quae mecum sunt, tollite, quaeso, sodales,
 Me sinite et nudo corpore abire, precor!
 Ferte manus dextrasque meae coniungite dextrae,
 Firmiter haec vobis iam sacramenta dabo:
- 75 Praesto fidem, o socii, fieri mox velle sacerdos,
 Pro vobis summum et saepe piabo deum!“
 Supplicibus verbis tandem fera pectora mulsi
 Et vici atroces in mea fata minas.
 Moxque abeunt laeti spoliis praedaeque superbi
- 80 Meque sinunt trepidum perfidi abire pede.
 Quod si de caelo (ceu dicunt) fata hominum sunt
 Utramque et sortem sidera celsa regunt,
 Incautus prorsus fueram, quia sidera caeli
 Non cavi, infausto hoc quae micuere die.
- 85 Nam Luna opposito Saturnum lumine vidit,
 Mars Lunam et radio viderat opposito
 Coniunctusque Iovi fuerat Mavortius heros
 Oppressitque mei fata benigna Iovis.

*13. Ad Danubium, ut puellam
 descendantem in Pannonias numine suo tueatur.*

- Hister in Euxinum properans septemfide Pontum,
 Qui varios populos flumine latus adis,
 Abnoba quem tenui mons fundit ab ore perenni
 Aediculam atque aras Caesaris altus habens;
- 5 Ortus apud Suevos vicina hinc Alpibus arva
 Ingredieris, Bavarus qua sua rura colit,
 Ingolstadtensum qua moenia picta videntur
 Et mugit lato vacca sonora foro.
 Hic Philomusus habens nomen famamque per orbem
- 10 Doctrina, ingenio carminibusque nitet.
 Inde Ratisponam Patavinaque moenia radis,
 Oenus et Illus ubi te locupletat aquis.
 Pierius Graccus vitalem hic ceperat auram
 Carmina Pieriis digna legenda canens.
- 15 Maior in Austriacas citus hinc deverteris oras,
 Pannonii regis quae trucidis arma tulit.

- Vidimus hic pulsus per diruta tecta colonis
 Arva sub informi maesta iacere situ ;
 Vidimus augustos Friderici et Caesaris hortos
 20 Et sata Caesarea robora multa manu ;
 Vidimus exculptum magna et de mole sepulcrum,
 Quod tegit invicti Caesaris ossa mei ;
 Vidimus Alpinas tumido hic cum gutture gentes
 Et stolidos, villas qui coluere, viros.
 25 Efficit id crassus, qui torpet in Alpibus, aer
 Atque humor niveis densus et ater aquis.
 Accedunt amnes Dravusque Savusque sonorus,
 Qui duo Danubium flumina magna petunt,
 In quorum ripis Alpestribus oppida clara :
 30 Frisiacum, Grecium, Labacum et Iulichum.
 Bellogradum fuerat, Turcorum ubi saeva caterva
 Experta a nostris proelia saepe viris.
 At parte ex alia est Amerina vallis amoena,
 Qua Tyrolis celsum tollit in astra caput
 35 Quaque Tridentinas Athesis se flectit ad Alpes,
 Cuius in Adriacum decidit unda sinum.
 Vitiferaque nihil maius conspeximus urbe,
 Quae sua de vino nomina celsa gerit,
 Qua sua furta sequens mea flamma morabitur urbe,
 40 Elsula, Bavaricas laeta perosa plagas.
 Quam tibi sollicitis precibus commendo, Danubi,
 Navalem ut possit carpere tuta viam.
 Casta, precor, maneat nec Cetia vina salutet,
 Ut locet Austriacis oscula blanda viris
 45 Et quicquid sequitur blanda oscula. Saepe monebis,
 Ne solvat tenerum casta puella femur.
 Bacchus enim Veneris stimulans consurgere nervos
 Solvere matronas saepe pudore solet.
 Praecipue Austriacas intrat dum femina thermas
 50 Non procul a campis, clara Vienna, tuis
 Cumque per excisas curret ratis incita ripas
 Perque cavos scopulos unda relisa sonat,
 Petrosa in mediis ubi fluctibus insula surgit,
 Murmurat et valido qua catadupa sono :
 55 Numine tuta tuo mea sit, pater alme, puella,
 Ut possit portum laeta subire tuum !
 Sic ubi nostra tuo firmabis vota favore,
 Carminibus nostris clarior, Hister, eris.
 Alveus ille tuus quam multas permeat urbes
 60 Septifida tandem sub mare fauce cadens !

LIBER III.,
qui Rhenus vel Ursula Rhenana aut iuventus
et latus Germaniae occidentale inscribitur.

1. *Hodoeporicon, id est itinerarium ex agro Norico
ad Rhenum per Suevos et Bacenis silvam
autumnaleque sidus describit.*

Tempus erat, mediam dum Phoebus fecerat umbram
Et parili steterant noxque diesque mora ;
Frigora iam tepido certabant lenta calore,
Exprimit ut Bacchum vinitor ipse suum,
5 Pleias et aequoreo miscet fera proelia ponto,
Turbida ut Eois nascitur illa plagis.
Ipse ego Danubii ripas tunc forte reliqui
Et iuga, quae celsis Alpibus astra petunt.
Mens mihi Rhenanam fuerat descendere in urbem,
10 Cui Cia cum Mogano nomina clara dabant,
Quae docuit spretis Germanos scribere pennis,
Cernitur ut pulchris littera pressa notis.
Ibam per medios servo comitante Suevos,
Quos vario cultu silva Bacenis alit,
15 Qua Necari Cocerique vagas conspeximus undas,
Alter alit Bacchum, sed coquit ille salem,
Sal quod de liquidis (flammis genitoribus) undis
Nascitur et formam concipit igne novam.
Hic Venus in variis iterum mea pectora curis
20 Implicat et veteres concitat arte faces,
Cum tot praestantes vidissem errare puellas
Urbe sub hac, cultu quae nituere suo ;
Languida facundis mulcebant pectora verbis,
Dum vacat officio Suevica lingua suo.
25 Cumque iter instaret Phoebi redeunte lucerna
Et me iam lassum ferret ab urbe pecus,
Sive per elatos in sidera transeo montes,
Sive sub umbrosis vallibus esset iter :
Maxima cura meos rursus corroserat artus,
30 Elsula, iam viduo quae mihi visa toro.
Terque quaterque vagis sonipes mihi constitit arvis.
Terque suis loris frena reducta mihi,
Dum dubito, terram repetamne ad terga relictam,
Ut fovear flammis, Elsula cara, tuis.
35 Victa fuit tandem furiens ratione libido
Et cepit frenos improba flamma suos.
Et peto Rhenanam collectis viribus urbem,
Lenior hac noster factus in urbe dolor,

- Dum statui populos Germanos scribere et urbes
 40 Quaeque vagas stellas regula contineat,
 Quot fontes Rheni, quot et ora binominis Histri,
 Qua Lona, Rura, suis Lipia quaque vadis,
 Qua Sara Trevericos laetus despumat in agros
 Sellaque cum Mosa nomina iunctus habet,
 45 Qua sua funesto conclusit proelia fato
 Karolus, Europae qui timor unus erat,
 Maximus Aemilius quot Gallos straverat hostes
 Pannoniamque suo frenat utramque iugo
 Italiamque trahet Germanis viribus olim,
 50 Dum reparat Latium candidus imperium.
 Hanc mihi materiam statuissem carminis esse,
 Ni mea iam rursus corda subisset amor.

*2. Ad Venerem et Cupidinem,
 ut se amore fessum deserant.*

- Cum mihi iam tepidis accedant viribus anni
 Et mea in occiduas vita feratur aquas,
 Dum vigor in nostro talis modo corpore restet,
 Qualis inest radiis, dum mare Phoebus adit,
 5 Cum color et facies talis mihi surgat in ore,
 Qualiter autumnio languida prata virent
 Saeve puer, depone tuas, ergo oro, sagittas
 Nullaque per nostrum spicula pectus age!
 Tuque meum excrucians animum blandissima mater,
 10 Da requiem fesso iam, rogo, diva, viro!
 Nam tua signa tuli roseum prolata sub axem,
 Magnus ubi gelidis Vistula fertur aquis
 Danubiusque rapax, totum qui circuit orbem,
 Te duce quae gessi, bella cruenta canit.
 15 Sed nunc, qui trifido mare poscit flumine, Rhenus
 Succendit flammis pectora nostra novis,
 Dum me conspicuo ferit Ursula candida vultu
 Et spernit blandas in mea vota preces.
 Quo magis illa negat, duplicat mihi pectore flammam
 20 Et sequitur praedam spes fugitiva suam.
 Quo careo (dictu mirabile), plenus abundo
 Et quod non mecum est, copia multa mihi est.
 Dum, quod amo, refugit, precibus nec flectitur ullis,
 Me misero est toto tristius orbe nihil.
 25 O dea, quae certo tetigisti pectora telo
 Et iungis animos foedere certa duos,
 Aut modo conceptas, mitissima, disice flammam,
 Vel mox consilium des mihi, diva, tuum!
 Nam velut in Librae dum fertur Cynthius astro,
 30 Quae iubet hibernas crescere nocte faces,

- Sic mihi ab igne novo confossum vulnere pectus
 Aestuat et crescit nocte futurus amor.
 Mitior ille tamen, quam qui mihi praeterit ignis,
 Phoebus ubi medio constitit ante polo.
- 35 Quale solet clauso mustum defertere vase,
 Vinitor ut flammis urit utrumque latus,
 Sic mihi confuso fervescit pectus in igne
 Et fera bella movent humor et ignis edax.
 His ubi me bellis, Venus improba, solvere nescis
- 40 Nec vis consilio mitis adesse tuo,
 Nulla tibi cantet Germanus carmina vates
 Nec noscet laudes Teutonis ora tuas.
 Necte animos, quae cuncta ligas elementa per orbem,
 O Venus, et nostram, diva, tuere ratem !
- 45 Haec ubi dicta dedi, Venus aurea nostra petivit
 Tecta, subit currum blanda columba suum,
 Quam circum locus et demulcens corda Cupido,
 His vultu triplici Gratia iuncta fuit.
 Balsama spirabant patulas implentia nares
- 50 Totaque caelestis tecta replevit odor.
 Dixit et admonuit placari carmine divos,
 Munera carminibus si modo iuncta forent ;
 Hunc quoque Rhenanis animum nunc esse puellis,
 Diligerent nullos, ni sibi dona darent.

3. Ad Ursulam

eius se captum amore conquerens.

- Ursula, Rhenanas tua vincit forma puellas,
 Qualiter ignifluus sidera cuncta globus,
 Qualiter aut Moenum rapido cum gurgite vincit
 Rhenus Helvetiis Alpibus exoriens
- 5 Quique lacus subit inde duos, a Caesare quondam
 Qui sua Constanti nomina clara gerunt.
 Quam male conveniunt tua nomina vultibus illis,
 Cum superet facies illa decora deas !
 Talia Sarmaticis sunt nomina digna puellis,
- 10 Quas premit Arctoo Parrhasis Ursa polo,
 Ursa per Arcadium quondam compressa Tonantem,
 Quo meruit rigido sidera celsa polo.
 His te crediderim stellis natalibus ortam,
 Dum tibi ab Eoo surgeret axe Leo,
- 15 Quo vagus exaltat sua fervida lumina Phoebus,
 Dum metit optatum falce colonus agrum.
 Arte Dionaea splendet tibi corpore vultus
 Et rutilant niveis ora venusta genis.
 Ursula, quicquid habes, totum mulcedine plenum est :
- 20 Frons, coma, vox, pectus, lumina, colla, manus.

- Sed nihil in toto muliere est durius orbe,
 Mulceri pectus quae sibi posse negat.
 Siste pedes nostrosque velis audisse dolores
 Et flectat mentem nostra querela tuam !
 25 Desque oculum his oculis, radius quo fortius urat,
 Atque genam nostris consere, diva, genis !
 Qualiter Abnobiis exhalat montibus ignis,
 Saxoniae princeps quos Fridericus habet,
 Quo duce Daphnaea cinxit mea tempora lauro
 30 Caesar et Aoniis ora sacravit aquis,
 Fervida sulphureis vel qualis fontibus unda
 Ebullit, ut plures silva Bacenis habet,
 Quas petit autumnus sub sidere languida turba
 Membraque sub calidis confovet aeger aquis :
 35 Torrida flamma meis sic, sic scatet undique venis
 Ossaque cum toto corpore nostra cremas.
 Inque aegras fibras veniat nisi cura medentis
 Et blandum morbum solvat amica Venus,
 Impia praebebis crudae mihi semina mortis
 40 Dicerisque meae causa fuisse necis.
 Hoc postquam nostra carmen scribetur in urna,
 Quae servet cineres post mea fata leves :
 Ursula Germanum sic torsit amore poetam,
 Illum sub Stygias misit ut ensis aquas.
 45 Et velut a duro redeunt ubi spicula muro
 Auctorisque petunt tela relisa caput,
 Concavitas speculi radium ceu colligit orbe aut
 Reflexuque suo incendere quaeque solet :
 Sic rediens nostros mea flamma repulsa sub artus
 50 Me velut aggesto torquet avara rogo.
 O me felicem, tua lactea sugere labra
 Si dabitur, blando et membra fovere sinu !
 Labra ligent animos aeterno foedere vinctos,
 Strinxeris amplexu dum mea membra tuo.
 55 Dum vaga per mediam discurrent sidera terram
 Concretusque gelu stabit uterque polus,
 Dum liquor oppositas medius secat aequore terras
 Rhenus et externum fertur in Oceanum,
 Ipse tibi fido semper sim pectore servus
 60 Subdenturque tuo colla domanda iugo.
 Isque tibi aeterno datur annulus aptus amori,
 Pignore quo nostri iam meminisse velis !
 Cumque alii varios venient post fata sub orbes
 Cognatamque petit quisque subire domum,
 65 Nos simul ad Veneris migrabimus, Ursula, sphaeram
 Cum love caelestes participando dapes.

4. *Ad Ursulam insomnia sua commemorans
et amoris impotentiam.*

- Ursula, dum nostros tua flamma invaserat artus,
 Nulla Moguntiaca mi fuit urbe quies,
 Sed veluti turbo puerorum impellitur ictu,
 Sic me sollicito verbere saeva premis.
- 5 Sive deos orem, videam seu litore classem,
 Seu veterum inquiero dum monumenta ducum,
 Plura Moguntiaca quae stant in moenibus urbis,
 Sollicitas oculos unica cura meos !
 Inter quae Drusi stant ardua busta Neronis
- 10 Clara a Germanis nomina primus habens.
 Utque comes Phoebi sese heliotropia vertit
 Nocte dieque vagam concomitata rotam,
 Luminibus sic ipse sequacibus impiger erro,
 Quo, mea flamma, tuos fersque refersque pedes.
- 15 Nec tot habet pennis oculos lunonius ales,
 Quot vaga sollicitus lumina gestat amor.
 Hinc mea nocturnae cum trado membra quieti
 Et vigor externis sensibus omnis abest,
 Ursula, mox placido colludimus ambo favore
- 20 Et pares votis obsequiosa meis.
 Brachia tunc nostris supponis blanda lacertis,
 Gaudet et officiis utraque lingua suis.
 Cumque tuum stringo cupido cum pectore corpus
 Dulceque patrandum fervet amoris opus,
- 25 Mox fugit expulsus Lethaea ad litora somnus
 Ingratusque meo corpore sensus adest.
 Quo cum blanda volat cupido ementita voluptas
 Et remanet querula non nisi mente dolor,
 Cum vigil in vacuo te quaerimus, Ursula, lecto,
- 30 Sed tua deceptum lusit imago volans,
 O mihi quot tristes renovas tunc pectore curas,
 Nulla mihi, vellem, quas medicina levet !
 Tantus adest cupidis miserisque in amantibus error,
 Ut cupiat nullam morbidus aeger opem.
- 35 Somne, soporifera qui fers tua gaudia nocte,
 An tua quid veri somnia ferre queant ?
 Dum nos sub variis ludunt simulacra figuris
 Et mortis species nox gerit alta vagas,
 An cum Lethaeas animus defertur ad undas,
- 40 Talis erit vitae vana figura meae ?
 Quicquid erit, vacuas relevabimus, Ursula, curas,
 Mutua dum iungit pectora nostra favor.
 Nec mihi divitiae desunt et amoris alumni,
 Par genus et formae munera clara meae.
- 45 Ante trucem faciem latronis quisquis egenus
 Divitias iactat captus amore suas.

- Hic timet, hic sperat trepidantes dispare voto,
 Hunc metus altus habet, spes tenet ille ratas.
 Has mihi fac certas nec defraudabis amantem
 50 Nocteque ventura somnia vera dabis !
 Dum mecum cupido compones corpora lecto
 Suspiretque suo blanda Venus gemitu,
 Ibis in amplexus moxque oribus ora ligabis
 Et miles Veneris proelia saeva dabis.
 55 Ingeminesque tuos referens super ictibus ictus
 Nec cedes bello cruda puella meo !
 Cumque utriusque furens fuerit satiata voluptas,
 Lassatos foveat somnus et alma quies.
 Ante tamen moneas securum linquere lectum,
 60 Quam fundat radios Phoebus ab axe suos,
 Ne nos oppressos somno rivalis amantes
 Opprimat et capiti vulnera saeva paret.

5. *Quod fuga elapsus
 paene cum Ursula deprensus fuerat.*

- Nemo velit vetitos bene sanus tangere lectos
 Et neque legitimas sollicitare faces.
 Quam prope concussa fueram deprensus in aede,
 Gaudia sperato dum dedit Ursa toro,
 5 Ursa, cui fulmen magni Iovis eruat auras,
 Plutoque sub Stygias hanc vehat ater aquas !
 Quippe suis gestat nomen par fraudibus : omnes
 Exuperans rigidas insidiosa feras.
 Nulla per humanas res est sincera voluptas,
 10 Sollicitum laetis semper adesse solet.
 Inter complexus et basia grata iacebam
 Et quicquid lecto fervidus audet amans ;
 Paeneque cum mediam superassent sidera noctem,
 Dum vertit currum clara Calisto suum,
 15 Mox fragor intonuit rigidis resonantibus armis,
 Quale solet Martis conglomerata cohors.
 Iamque propinquabat nostro fera turba cubili,
 Coeperat et temera rumpere claustra manu,
 Moliri et nostros convulso cardine postes
 20 Concutiens clava, fuste, bipenne, manu.
 Sive maritus erat seu corrivalis adulter
 Seu qui pollicita est Ursa dolosa torum,
 Exclamat vasto mox barbarus ille boatu
 Et dederat tales in mea fata minas :
 25 „Pape, cave“ (papum ratus ille latere cubili)
 „Iam tibi praeripiam, perfide, testiculos !
 Lex fuit haec priscis et sanctio sacra sub annis
 Desectare sacris membra pudenda viris.

- Et modo Rhenanas lex haec est coepta per oras,
 30 Dum sacra tēstipremis membra secare licet.“
 Dixit et insonuit iam cardine ianua fracto
 Deciderantque suis fortia claustra seris ;
 Mox ego per bifores delecto crura fenestras
 Corpore iam nudus pracipitandus humo.
 35 „O mihi Daedaleas, Venus, insere, candida, pennas,
 Molliter ut terris iam mea membra cadant !“
 Forte domus fuerat nostro coniuncta cubili,
 Imbrice sed paries dissociatus erat.
 Hac ego praecipiti dederam mea corpora saltu,
 40 Crure parum laeso terra petita fuit.
 Irrupit nostrum sed iam fera turba cubile
 Meque stupet celsa desiluisse domo,
 Et iam saxa volant, saxum praetervolat aurem,
 Et resonant lotio testea vasa suo.
 45 Ast ego per medias nudus discurre plateas
 Testatus nitido numina cuncta polo ;
 Numina iam stabant toto rutilantia caelo,
 Sex in signifero sidera clara polo ;
 Laniger in medio caeli, Leo stabat in ortu,
 50 Urniger Herculeas forte petebat aquas,
 Claviger et Cepheus, Heniochus, Cassiopeia,
 Perseus, Arctophylax, Anguis et Ursa ferox,
 At parte ex alia pluvioso sidere Orion,
 Stabat uterque Canis, Cetus et Eridanus
 55 Et Lepus ad tantos visus mihi currere motus,
 Qui dederat nostrae maxima signa fugae,
 Andromedaeque meas derisit amoris erumnas,
 Viderat ut nudum currere nuda virum.
 Illa mihi tandem vox est audita per auras
 60 Seu Veneris fuerat seu Iovis omniproci :
 „Difficiles aditu fugias in amore puellas,
 Si te secunda ludere mente iuvat !
 Utque solet caram venator ducere praedam,
 Quae sibi cum magno capta labore fuit,
 65 Sic in lascivo Veneris contingit amore,
 Ut facilem spernas difficilemque petas.

6. Ad Ursulam ;

sola fuga Venerem vinci posse.

- Iuravi totiens testatus numina caeli,
 Ursula, me lectum spernere velle tuum,
 Quippe tuam nequeo linguam tolerare procacem
 Et totiens iussis verba proterva meis
 5 Quasque struis semper fallaci pectore fraudes,
 Dum facies laesi signa pudoris habet

- Putidaque exhalant hesternum guttura Bacchum,
 Oscula ut invito vis mihi blanda dare,
 Multaque per niveum dum stant vestigia collum,
 10 Quae tibi mordaci dente momordit amans;
 Omne sed exuperat facinus muliebre, quod inter
 Amplexus nuper te duce pressus eram.
 Ast ego iam cuperem sine te me vivere posse
 Aut numquam vultus cernere posse tuos,
 15 Visus enim regeret causas mihi semper amoris
 Indiciumque suae lumina mentis habent.
 Omnibus in vitiis licitum est concurrere pugna,
 Sola Venus tacita vincitur ipsa fuga.
 Si fugis, ipsa fugit; gressu comitatur amico,
 20 Si vitio mentis blanda alimenta dabis.
 Utque trahunt validas vivacia sulphura flammam
 Et magnum generat parva favilla rogam,
 Sic amor ex minimis crescit saepissime causis,
 Ceu parvi fontes flumina magna creant.
 25 Ergo tuos fugiam vultus et mellea verba,
 Docta quibus iuvenes illaqueare soles.
 Improba iurabas te solo Celtis amore
 Haerere et cunctos spernere velle viros.
 Expertus! quicumque tibi sua munera mittit,
 30 Mox compos voti gaudia noctis habet.
 O nimium miseras venali merce puellas,
 Quae sua sic passim vendere membra solent!
 Non pudor aut probitas illis neque honesta voluptas
 Nota, sed ad quaestum volvitur ingenium.
 35 Aspice naturae per mutua foedera leges,
 Quae sociant nexu cuncta animata suo.
 Unus adest cunctis sociali in amore maritus,
 Inter quadrupedes cernis et illud aves.
 Taurus pro nivea vibrat sua cornua vacca,
 40 Cum gallo gallus bella cruenta gerit.
 Utque ferox pressis sonipes retinetur habenis
 Et docet officium, qui sua terga premit,
 Sic varium semper quae gestat femina pectus,
 Non nisi virtutis verbere discit iter.
 45 Ultima sed nostrae quae sit sententia mentis,
 Accipe iam paucis, perfida, carminibus:
 Dum cadet occiduas Serpens glacialis in undas
 Vel ferox Arctophylax cum genitrice ruet
 Terraque dum stellas et caelum gramina gestat
 50 Et socias liquidas ignis habebit aquas,
 Vel dum nubigeras mare merget fluctibus Alpes,
 Duces Phoebeos sub tua iussa viros!
 Ergo vel obsequio facilis mulcebis amantem
 Et discas nostro te satiare toro,

- 55 Sic ubi te fidam nostro praebebis amori,
 Praeteritam culpam diluere ipsa potes !
 Ursula, rivalem non possum ferre Tonantem
 Nec qui lucifluam fertque refertque rotam.

7. De supellectili sua
 per aurigam Sarmatam perdita.

- Sarmatia infelix rigidum damnata per axem,
 Utraque quam gelido despicit Ursa polo
 'Hvloxosque suo volitans per sidera curru,
 Henioche, o nostris quam malefide libris !
 5 Nam cum mandata est quondam tibi nostra supellex,
 Quam mihi debebas reddere, perdideras.
 Quot Scythicas pelles et crudi vellera Moschi,
 Quicquid Hyperboreo et Sarmata mure rapit
 Quotque Palaestinae secreta volumina linguae,
 10 Hei mihi, Sarmatico perdidit ille dolo !
 Plena mihi Latiis quis reddet scrinia libris
 Et quae de Graiis docta Minerva canit,
 Democritas, Zenonas inexplicitosque Platonas
 Multaque per Samium dogmata scripta virum ?
 15 Quid Ciceronis opes querar et pia carmina vatum ?
 Omnia Sarmatico perdidit ille dolo !
 Nolo tamen miseræ deducere tempora vitae,
 Ut mihi post mortem fama perennis eat.
 Scilicet his rebus vita est quaerenda beata
 20 Corporis atque animi non caruisse bonis.
 Non egeat sanum corpus cum pectore sano
 Et rerum causas discere semper amet.
 Excudatque aliquid residens sub pectore Phoebus,
 Quod bona posteritas laudet, honoret, amet.
 25 Certa domus mihi sit, mediocri et splendeat usu,
 Contegat et corpus patria lana meum.
 Iucundus veniat parilis tacitusque sodalis,
 Qui vultum sortis ferre utriusque queat.
 Hinc Cytherea meo consors sit candida lecto,
 30 Quae sit carminibus lima severa meis.
 Rite deos venerer nec mens mihi conscia culpae
 Et maneat vitae candida fama meae.
 In ius nemo vocet nec opus mihi iure protervo,
 Iudice me nemo sic neque teste cadet.
 35 Sic ubi tranquillae currunt mihi stamina vitae,
 Nil querar amissos in mea damna libros
 Et pelles Scythicas et crudi vellera Moschi
 Textaque Sarrana Serica fila manu.

8. *Ad Alborum sacerdotem
Vestaliū sectatorem.*

- Albore, quid sacros violas temerarie lectos
 Vestalesque tuis ignibus ipse coquis?
 Inque sacram sacer ipse ruis fera proelia miscens,
 Tenta cruentato dum furit hasta toro.
- 5 Vulnera quin etiam nullam inducentia mortem
 Exploras, cunnum dum feris ipse sacrum.
 Laurigerumque deum casta cum Pallade rides
 Et quae Pieridum docta caterva canit.
 Pruriat in nostris quamvis Venus improba libris,
- 10 His tamen invenies, quod pia vita probat.
 An quia Mars genuit sacra de virgine Remum
 Et fratrem, Latiae qui caput urbis erat,
 Idcirco liceat sacras violare puellas,
 Velatae sacrum et pene ferire lacum?
- 15 Te saltem admoneant prisco de tempore leges,
 Quae de Vestali virgine lata fuit.
 Scilicet ut pereat vivo corrupta sepulcro
 Templorum casto dedita servitio.
 Laxior est vestrae sed facta licentia vitae,
- 20 Dum vobis tantas accumulastis opes,
 Quae reges et iura regunt superumque favorem
 Regnaque diripiunt, quae modo Pluto regit.
 Omnia nummus habet; caelum venale. Quid ultra?
 Invertit leges Pluto, sepulte, tuas.
- 25 Si tibi sit nummus, animas revocabis ab Orco
 Et patris et matris, coniugis et socii.
 Non ego crediderim fatales esse sorores
 ludicibusque tribus non status ordo manet.
 Si dederis nummos, nostris quis Turcus ab oris
- 30 Pellatur, nullum crimen in orbe manet.
 O quam felices, veniant si rursus in aurās
 Tantalus et saxo deditus Aeolides!
 Aut si quis sanctum daret ob sua crimina nummum,
 Solveret hos poenis suppliciisque suis.
- 35 O qualis facies et quae mutatio Romae,
 Vendidit haec quondam corpora, nunc animas!
 Quicquid in extremis habuit Germania terris
 Et mediis quicquid continet illa plagis,
 Exhaustum est totum et Latias migravit in arces,
- 40 Expleat ut luxus, impia Roma, tuos.
 Dum qui militibus deberent cedere nummi
 Et nostro tutas reddere in orbe domos,
 Hos modo Romanus miles sibi tollit in usus,
 Ut Veneri et Baccho nocte dieque vacet.

*9. De munere et epistola
sibi ab Ursula missa.*

- Ursula Germanis misit mihi carmina verbis,
 Fulmina quae possent frangere rauca Iovis
 Excuterentque suum Neptuno blanda tridentem
 Et Marti gladium Mercurioque lyram.
- 5 O quotiens placidae dedimus nunc oscula chartae
 Et quotiens nobis illa relecta fuit!
 Eius enim videor praesentes cernere vultus,
 Dum sua luminibus perlego scripta meis.
 Sed lacrimae produnt veros sibi mente calores,
- 10 Confudit scriptas cum quibus illa notas.
 Et queritur tacita Veneris se compede vinctam
 Et simulat flammam condere posse suas.
 Felix si Latiam didicisset femina linguam,
 Iam respondissent verba Latina meis.
- 15 Non Proba, non Sappho nec Hrosvita blandius illa
 Scripsisset lyricis carmina docta modis.
 Nemo Germanas Latialia verba puellas
 Edocet aut cupiat verba Latina loqui.
 Quamvis femineis scateat Germania claustris
- 20 Et Latiis verbis nocte dieque canant,
 Sacra tamen Latias intelligit ulla Camenas:
 Tantum simplicitas barbariesque placet.
 Vel druidum ritu non debent noscere voces,
 Quas dedit arcanis Solyma terra libris,
- 25 Scilicet in vulgum ne serpant sacra profanum,
 Mandentur magicis vel sacra verba dolis.
 Quapropter ritu quondam servavit eodem
 Religio, ut nullus ferret in aede libros.
 Compulsi Graios iuvenes ediscere versus,
- 30 Nec liber in manibus ceu modo tritus erat.
 Sed nunc Germanis tot pressa volumina terris,
 Ut scateat libris quaeque taberna sacris.
 Omnia pressor habet; nil nunc absconditum in orbe est
 Cunctaque sub lucem iam rediere novam.
- 35 Scimus enim, caelo faciat quid Iuppiter alto
 Et quid sub terris Pluto sepultus agat,
 Quid sibi monstra velint, quae tot modo visa sub orbe
 Germano, ut cunctis sit timor atque metus.
 Quid referam pueros vel porcos? vidimus ipsi,
- 40 Corpore qui bifidi, frons tamen una manet.
 An taceam? memorant Oeni quam litore matrem
 Sex quater, heu, fetus ventre tulisse simul.
 Nec volucres tacuisse queam tres cardine soles
 Et quae de caelo fulgetra saeva ruit,
- 45 Pulcher Helvetias ubi Rhenus concoquit uvas
 Gallica Germanis proxima rura secans.

- Sed redeo : sacros quid prodest psallere versus,
 Nocte dieque suos sollicitare deos ?
 Dum canit et nescit, quid sacro carmine poscat :
 50 Sic solet in medio vacca boare foro.
 Sicque datur teneris occasio multa puellis,
 Plurima quod tacita crimina mente ferant.
 Et cum deberent animos intendere verbis,
 Intendit tempus sacra puella procis.
 55 Ergo Fata meam si ducant, Ursula, vitam
 Inceptusque manet si modo noster amor,
 Carmina Romanis doceam te scribere verbis
 Pulsabisque meae plectra canora lyrae.
 Tunc mea lingua tuis infundet verba labellis
 60 Et dabitur versu syllaba quaeque tuo ;
 Hanc tibi nunc longam per basia longa notabo,
 Oscula rapta dabo, cum brevis ulla venit.
 Omnia Romanae sic disces verba loquelaе,
 Donec sis Latiis facta diserta modis.
 65 Aegoceros niveas dum fundit ab aethere plumas
 Litoreusque trahit Cancer in orbe dies,
 Vel dum Libra suis opulentat frugibus annum,
 Dux gregis et vernum tempus adesse iubet :
 Semper erit stabilis concordī foedere nexus,
 70 Mutuus et nostris mentibus ardor erit.
 Cumque datur gelidos olim sepelirier artus
 Et circum funus flamma suprema calet,
 Hoc mox perpetui statuam tibi carmen honoris,
 Quod referat laudes, docta puella, tuas :
 75 „Ursula, Romanis quae scripsit carmina verbis,
 Hic iacet et Musis plectra sonora tulit.“

*10. Quod diversi ad diversa studia nati sunt,
 se tantum ad amorem natum esse scribit.*

- Quam variis fatīs caelestia sidera mentes
 Exagitent, nostro carmine nota dabo.
 Ille tenax rigido tellurem versat aratro
 Et stimulat biūges per sua rura boves.
 5 Hic Baccho teneras coniungit in ordine vites,
 Ut repleat dulci concava vasa mero.
 Ille ducum et regum sequitur spectabilis aulas,
 Donec sub titulum nobilitatis eat.
 Est alius, quem fata ferunt ad proelia Martis
 10 Deliciasque suas vulnera saeva putat.
 Divitias alius caecum concludit in antrum
 Et spernit solitas ventre famente dapes.
 Illi tantus amor nummi, mihi quantus amore est,
 Dum sequor amplexus, Ursula cara, tuos.

- 15 Est alius, nomen qui gestit habere poetae
 Nominibusque tribus nobilis esse cupit,
 Et quamvis nullos didicit concludere versus
 Et quo legitimum stare poema solet,
 Ille tamen titulum vatis nomenque poetae
 20 Mentitur vacuum nomen ab arte gerens,
 Cuius cum relegis figmenta et inania verba,
 Ceus crepitus ventris turpiter aure sonant.
 Non is divina aut humana negotia tractat,
 Grammatici tantum nomen inertis habet.
 25 Atque utinam Latiam Graiamque hic flectere linguam
 Nosceret et quicquid philosophia docet!
 Spumam, algam, bibulam scribit sine calce et arenam,
 Nec quod divinae est construit artis opus.
 Antigonus tali dederat sua dona poetae,
 30 Ut de se nullum scribere vellet opus.
 Inter mortales nemo est sublimior arte,
 Quam, qui describit cuncta, poeta bonus.
 Nascitur hic melius, quam praeceptore creatur,
 Divinum ingenium cui dat ab arce deus,
 35 Divinaque sua conscendit ad aethera mente
 Verbaque blandiloquo fingit in eloquio.
 Haec tria si quis habet, veri sibi nomina vatis
 Accipit et cunctis carmine gratus erit,
 Sorte sua contentus erit parvoque beatus
 40 Divitiasque suas carmina docta putat.
 Induit hic taetrum simulata mente cucullum,
 Fomenta ut vitae possit habere suae.
 Indoctum tandem quem sors ubi tollit in altum,
 Ad quaestum toto volvitur ingenio;
 45 Et cuperet, nemo fieret quod doctus in orbe,
 Mactat enim obtruncans scripta vetusta manu,
 Inque habitu et verbis et gestu religiosus,
 Pectore sed rapidus noscitur esse lupus.
 Ebrius hic tota desiccat pocula nocte
 50 Omnivori tantum gaudia ventris amans.
 Astrorum petit ille vias zonasque patentes
 Climata cum certo dinumerans radio.
 Ille vagus quaerit per vastum flumina mundum
 Oceanique trucis litora cuncta notat.
 55 Hic mare velivolum plenumque furentibus euris
 Scandit et aeratas in sua lucra rates
 Et populos gentesque petit, quos Phoebus ad ortum
 Quosque per occasum lumine pronus adit.
 Ille genethliacam praedicit fata per artem
 60 Et manibus densas tractat *ἐφημερίδας*.
 Illis non alia est regio nunc plenior ulla,
 Quam quae Germano nomine dicta manet.

- Est, qui fortuitis praedicat tempora punctis
 Quemque tenet glabra linea scripta vola.
 65 Hic quaerit numeris arcana mente cabalas
 Et magicis verbis sacra profana facit.
 Ille videt sacro crystallo cuncta futura,
 Evocat hic manes Tartareumque chaos.
 Alter mirifico probat omnia condita verbo
 70 Bisque duas Samias iactat in ore notas.
 Non opus est nobis, quod Gallia vana petatur,
 Nobiscum surgit cuncta superstitio.
 Cum deus hunc sacro perfecit pectore mundum,
 Ut nihil huic addi diminuive queat,
 75 Cur temere illi audent naturae vertere leges
 Arcanumque dei vendere consilium?
 Hinc tales natura fugit, deus optimus odit,
 Ceu qui prostituant condita fata dei.
 Nemo mathematicus genium indemnatus habebit,
 80 Quandoquidem violat iusque piumque dei.
 Inde parum illorum constant mentes animique
 Et vita illorum multa pericla subit.
 Hic cupidus tacito confundit in igne metallum
 Promittens auri pondera magna novi.
 85 Et vagus in toto sponsor devolvitur orbe
 Decipiens nugis oppida cuncta suis.
 Concoquit hic aurum potabile, philosophorum
 Et lapidem miro conficit ingenio.
 Ille rotam vivam patula promittit in aura,
 90 Cuius motorem cernere nemo queat.
 Huic Lolli doctrina placet verbosior omni,
 Quae sedet ad cunas garrula semper anus.
 Est, quem per totum dialectica sauciat annum,
 Cui lis de rebus nominibusque venit,
 95 Bella Chimaerifero cui sunt rabiosa tumultu,
 Dum fervet totis rixa proterva scholis,
 Cum res defendit, cui nomina praetulit alter,
 Pro quorum rixis non faba danda mihi.
 Hi modo Germanas gymnasia cuncta per oras
 100 Implent et logicam per tria lustra docent.
 Nemo hic Platonis quid dia volumina scribant,
 Noverit aut Plinii vel Ciceronis opes.
 Dum quaeris, faciat quid Socrates aut Plato, summa
 Lumina per Graias quae micuere scholas,
 105 Mox tibi respondent: Hic currit et ille movetur!
 Sic perdunt nugis tempora cuncta suis.
 Bartolus hunc Baldusque tenet, verbosus et Aso,
 Quemque tulit tumido Sicelis unda freto.
 Est, qui Romanam cupidus discurret ad urbem
 110 Absentes nummos in sua lucra petens,

Dives ubi multis altaribus est, pia Baccho
 Et Veneri cunctis sacra diebus agit.
 Ast ego non alio potui sub sidere nasci,
 Quam quod sub terris dicitur alma Venus.
 115 Illa suo totam texit mihi sidere vitam,
 Quattuor ut lustris vita peracta fuit.
 Cumque alii variis plorent sua fata querelis,
 Tela Dionaei numinis ipse queror.

11. *Invitat Ursulam, ut sibi venam incidenti ministret.*

Squamigeris modo Phoebus agit sub Piscibus orbem.
 Humida et ad vernae sidera tendit Ovis,
 Iamque redit nostris lumen spirabile terris,
 Occultum inferno quod prius orbe fuit.
 5 Inde simul certant calor et crassissimus humor,
 Frigida quem genuit nuntia mortis hiems.
 Quaeque prius fuerant occlusis corpora poris,
 Solvuntur Phoebō iam redeunte novo.
 Spumeus hinc toto lascivit corpore sanguis
 10 Et tumet in membris turgida vena suis.
 Ergo ubi cras roseo Sol spargit lumine terras,
 Vena mihi elicitō caesa cruore fluet.
 Nam mihi dum pectus gravidum non rite saliret,
 Nec tenuit soliti vena tenoris iter,
 15 Hippocraten, Rasum, Galienum, Celsum, Avicennam
 Consului, medicam qui mihi ferret opem,
 Qui mihi ferret opem, medicus si fata morari
 Arte potest, doses miscet ut ille suas.
 Sanguine plena tumens, respondit, vena secanda est
 20 Et cruor atra gerens eiaculandus erit.
 Mox ego consului Phoebum, quae signa teneret,
 Atque ubi in obliquo curreret axe soror.
 Iuppiter, inveni, Venerem cras luce benigna
 Aspiciet, clarum Solque tenebit iter.
 25 Ergo age, cras venias nostri sub limina tecti,
 Ursula, pars animae dimidiumque meae!
 Primus amor furor est et noxia flamma secundus,
 Tertius a vera sed ratione venit,
 Quartus ab officio est, dum curva supervenit aetas,
 30 Quae movet ad baculum languida membra suum.
 Stabis et emissum spectabis laeta cruorem
 Iudiciumque mei sanguinis ipsa dabis,
 Scilicet an fido tibi sim coniunctus amore,
 Dilecta et quantum femina nulla mihi est;
 35 Sanguis enim sedes animae cum dicitur esse,
 Iudicium veri semper amoris habet.
 Sic tua te facies prodit, cum cernis amantem,
 Candida sanguineus mox ferit ora rubor.

- Sic tua sperato dum comprimo pectora lecto,
 40 Purpureo occurris blanda liquore mihi.
 Albaque sanguineis miscentur lilia baccis,
 Dum simul ad metam pugna utriusque venit.
 Ergo age, Puniceam dum vult incidere venam
Φλεβοτόμος quaerens vulneris ante locum,
 45 Qui simulac vulnus subito mihi fecerit ictu
 Et cruor elicitus prosilit astra petens,
 Tu niveis manibus sustentans, Ursula, pelvem
 Hos mihi versiculos in mea fata canes :
 „Macte novum, Celtis, membris habiture vigorem,
 50 Proroget et vitam Iuppiter ipse tuam !“
 Et mox fasciola constringes vulnera nostra,
 Quam signet cordis nota figura tui.
 Inde torum molli sternes mihi candida pluma
 Cervicemque meam terque quaterque leves.
 55 Oscula tunc blandis infiges dulcia labris
 Et fies nostri fida ministra tori.
 Sed caveas, caesam ne tanges lubrica venam,
 Nam solet in digitis vena tumere tuis.

*12. Ad Ursulam, ut tempus laetitia redimat
 et natalem secum celebret.*

- Ursula, quid differs promissae gaudia noctis
 Suspendens longis pectora nostra moris ?
 Nescis, quam rapido nos fallant tempora cursu,
 Dum partem vitae quaelibet hora rapit ?
 5 Felix, qui potuit vitae decerpere fructus
 Et laetus stabili semper amore frui.
 Quippe dies venient, cum nobis curva senectus
 Gaudia cum placidis eximet illa iocis.
 Tunc dulces risus aberunt et gratia vultus
 10 Et quae nunc oculis spirat amica Venus.
 Tunc tua quae cunctos iuvenes iam forma lacescit
 Et gena purpureo mixta rubore nitens
 Pallida suscipiet rugas et succus abibit
 Turgida lascivo corpore membra movens.
 15 Cumque suo nitidae consurgunt ordine stellae
 Terraque lucifluum condidit atra globum,
 Frigida tu viduo torpebis sola grabato,
 Nec tibi iam iuvenes carmina laeta canent.
 Et latus huc illuc iactes somnumque vocabis,
 20 Sed praesens lecto non erit ille tuo,
 Defrictisque tuis ubi mane exurgis ocellis,
 Dices : Quam longae tempora noctis erant !
 Quae quondam spatio numerabas unius horae,
 Proelia dum tota nocte cruenta dares,

- 25 Haerebantque simul tenero cum corpore corpus
 Mordebasque rudes dente proterva notas.
 Ergo age, laetitia ne fraudes tempora nostra,
 Cras praesens tectis sis, precor, Ursa, meis!
 Quippe duodecimam mihi cras trieteriden implet
 30 Phoebus ab Eoa Tethyos ortus aqua.
 Phoebe, bis undenas Ganymedis sidere partes
 Servabas, vitam ut das mihi in orbe meam.
 Pythia cras Phoebo, trieterica festa Lyaeo
 Instituam numeris candida dona meis.
 35 Phoebus amor vatum, Phoebus mihi computat annos.,
 Iste dies Phoebo festa superba trahet
 Ignigenoque deo, curas qui supprimit atras,
 Ille ratas vitae spes dat habere meae.
 Et licet occasum mea nunc vaga sidera poscant,
 40 Longa tamen vitae tempora spero meae.
 Ergo age, natales cras pones, Ursula, mensas
 Et genio sacras instrue larga dapes!
 Aetatemque tuam si vis numerare, trilustrem
 Quattuor et messes, Ursula cara, potes.
 45 Pocula vertemus totiens, quot Phoebus in axe
 Annua confecit tempora nostra regens.
 Oscula carpemus placidosque canemus amores
 Iungentes blandae carmina docta lyrae.
 Omnia plena iocis, securo et plena cachinno
 50 Et plenus Baccho cantharus omnis erit.
 Oscula dehinc laeti Venerisque süavia bella
 Pergemus placido continuare toro.
 Tartara cum poenis et regna calentia Ditis
 Crassaque sensificis frigora cum tenebris
 55 Esse sacerdotum commenta putemus inertum,
 Cum quibus hi vulgi pectora caeca regunt.
 Magnaque sub variis abscondunt monstra cucullis,
 Harpyias volucres Cerbereumque caput,
 Monstrorum et quicquid memorant sacra carmina libris ;
 60 Moribus illorum tradere quisque potest.
 Horum nos tenero nunc despiciamus amore
 Murmura blandiloquam concutiendo χέλυι.
 Haec ego dum laeta cecinissem carmina mente,
 Reddiderat querulos Ursula maesta sonos :
 65 „Pro facinus!“ dixit, „referunt quid, Celtis, in urbe ?
 Audio te Rhenum linquere velle vagum
 Perfidus Arctoas contendens visere terras,
 Cras ubi Francorum moenia nauta petet.
 Te furiosa sequar vaga per nemorosa Turogi
 70 Et sua qua Chattus regna petrosa tenet,
 Perque Salam Vidrumque vagum rigidumque Visurgum
 Perque Oderae nigras te comitabor aquas

- Perque sinum Arctoum Gothorum a nomine dictum,
 Hic tecum celsas laeta subibo rates.
 75 Arcturum patiar, nimbosae et Pleiados iras
 Teque mare incertum, tristis Orion, agens.
 Perferam et Oleniae signum pluviale Capellae
 Et te, qui Phrixo naufraga vela dabas,
 Dum mihi contingat tecum considerare transtris
 80 Dacica Germanis proxima regna videns.
 Hinc Tylen, quondam fuerat quae terminus orbis,
 Insula sed finem nunc glacialis habet.
 Sic vaga mutantur sinuosae litora terrae,
 Cum caelo et toto constat in orbe nihil."
 85 Dixit et infectos pestis sibi corripit artus
 Intentans celeres ad sua vota pedes.

*13. Ad Rhenum ortum et exitum eius commemorans, rogans,
 ut puellam descendantem Aquis Grani numine suo tueatur.*

- Rhene, Moguntiacam rapidus qui tendis ad urbem,
 Qua te, Rhene, suis Ceia salutat aquis
 Quaque tibi Moenus miscetur nomine claro,
 Flumina quadrifluo qui sua monte trahit.
 5 Sed tuus excelsis fons ortus in Alpibus acres
 Linqvit Helvetios valle sonante viros.
 Terquinis annis pater hic Nicolaus in Alpe
 Sederat et nullos ceperat ore cibos,
 Sive deo pascente virum, sive aere crasso
 10 Servata est sancti caelica vita viri.
 Libera Germanis haec gens est sola sub oris
 Iustitiam et leges saeva per arma tuens.
 Fama est, Italicas atrox dum Cimber in oras
 Irrueret, Suedos secum habuisse duces
 15 Reliquiasque suae per tecta Alpina ruinae
 Liqueisse et Suetios se vocitare viros,
 Indomitam gentem rosei sitibunda cruoris,
 Qualis in Arctoa noscitur esse plaga,
 Cum qua magna tulit domus Austria proelia quondam,
 20 Maximus Aemilius nuper et arma tulit;
 Congressi et valido bellatum utrimque tumultu est,
 Sed nondum belli finis utrisque datus.
 Perque lacus celer inde duos te volvis ad urbem,
 Quae de Constanti Caesare nomen habet,
 25 Insula qua mediis clarissima surgit in undis
 Tiberii quondam Caesaris arma tenens.
 Sed druidis sacris nunc haec est insula plena,
 Quos nostris regnis terra Britannia dedit.
 Per scopulos ruis inde vagus, celer atque sonorus
 30 Perque cataractas, impetuose, duas,

- Donec per pulchram rapiaris Basiliensem
 Urbem, quae Gallis proxima rura colit.
 Hartmannus meus hac Eptingus in urbe recumbit
 Doctorumque virum candidus hospes adest.
 35 Argentoracos, Nemetes hinc Vangionasque
 Alluit irriguo fons tuus ille vado.
 Hic meus, aeterno quo mens mihi fervet amore,
 Vangionum praesul candida tecta colit.
 Iamque Moguntiacam vastus te flectis ad urbem,
 40 Quae prima impressas tradidit aere notas.
 Qualem ego te memorem, talem qui inveneris artem,
 Italicis, Graiis plus memorande viris?
 Hic ubi Sol roseo revehet cras lumina curru
 Et clarum croceo sparserit orbe iubar,
 45 Accipies nostram piceatis navibus Ursam,
 Ibit enim, calidis urbs ubi fumat aquis,
 Urbs ubi fumat aquis Graneo ab Apolline dictis,
 Corpora quae morbis tincta liquore levant,
 Quaque patent celsae genitricis templa Tonantis,
 50 Sanctius in nostro quis nihil orbe micat.
 Hanc caput imperii statuit rex Karolus olim,
 Dum Gallos nostro subderet imperio,
 Gallia quae nostris vitiis nunc libera vivit
 Et spernit leges Romulidumque duces.
 55 Ast ubi, Rhene, meam duces, pater alme, puellam,
 Fac, maneat sancto numine casta tuo,
 Neve sacerdotes blandis allectet ocellis,
 Qui tua per ripas flumina tota tenent.
 Quondam enim ubi Latiis legionibus arma fremebant,
 60 Hic Constantini iam toga sacra canit,
 Instruit et varias furienti Marte cohortes,
 Hasta cruentato dum furit acta toro.
 Casta, precor, maneat nec vina meracia sumet,
 Quae stimulant tumidum saepe resumpta femur,
 65 Praesertim quae collis habet, qui nominis auctor
 Urbi est de Baccho nomina clara gerens.
 Sed cum perventum est obliqui ad cornua vallis,
 Quam rapidus vertex saevaue Syrtis habet,
 Voxque percussis specubus reboabit ab altis,
 70 Fertur silvicolas quos habitasse deos,
 Quaque sibi caecos memorant quaesisse meatus
 Rhenum et sub terras fertur habere vias
 Atque aliis dicunt tandem regionibus ortum
 Largifluos fontes amne creare suo,
 75 Ceu Graii memorant subter labentia terris
 Flumina apud Siculos fontibus orta novis,
 Hic, pater alme, tuo, posco, sis numine praesens,
 Ne navem refluo sorbeat unda freto.

- Sed facias, velis intret turgentibus urbem,
 80 Qua fluis in Rhenum, flave Mosella, tuum,
 Flumine Trevericam quique alluis impiger urbem,
 Multa tenet veterum quae monumenta virum.
 Vidimus hic Graïs ἐπιγράμματα multa lituris,
 Multa Mosellanis castraque celsa iugis.
 85 His ripis duxit clarus Trithemius ortum
 Cusaque, Mosellae qui decus omne fuit.
 Navis Agrippinam vaga sed cum venit ad urbem,
 Expones Ursam, candide Rhene, meam
 Transmittens curru per Iulia moenia in urbem,
 90 Quae sua de thermis nomina clara gerit.
 Interea ad fortem te flectis, Rhene, Nusiam,
 Burgundi Karoli quae tulit arma ducis.
 Ad Lobicas arces mox incipis ire tricornis
 Cum trifido scindens flumine, Rhene, caput.
 95 Issula ad Arctoas gentes, sed Balus in austros,
 Rhene, sed in medio gurgite nomen habes.
 Haec Batavi madidique habitant loca nota Sugambri,
 Quos modo Gelenses Flamineosque vocant
 Hollandosque, cavis habitant qui litora terris,
 100 Suspensos dubio per freta saeva metu;
 Nec cuiquam mirum, madeant quod nocte dieque,
 Quandoquidem mediis hic habitatur aquis.
 Sic tua qui celsis deducis ab Alpibus ora,
 Marmora cum triplici flumine, Rhene, subis.

14. Ad pestem, quae Ursulam
 in stellam Veneris relatam abstulerat.

- Saeva lues, nostram tibi quid rapuisse puellam
 Profuit et subita prostrāuisse nece?
 Unus et alter abit mihi nunc dulcissimus annus,
 Dum mea traiecit pectora blanda Venus
 5 Ursellaeque meae tanto me iunxit amore,
 Facta quod ex nostris una animabus erat.
 Sed tu, saeva lues, cupidos disiungis amantes
 Semianimem cogens vivere dira virum.
 Ast ego non possum tantos tolerare dolores
 10 Desertae vitae tempora maesta trahens.
 Sed dum Parca meam sic iussit currere vitam,
 Ut te sublata nec mihi vita foret,
 Ergo mihi gladio mors consciscenda cruento est
 Stringendusve meo gutture funis erit,
 15 Vel mea praecipiti demergam corpora Rheno,
 Hic ubi verticibus dira vorago patet.
 Non tua busta meo pede conculcabo, puella,
 Nec possum tumulos, Ursa, videre tuos.

- Ossa cinisque iaces ! Quondam (dum vita superstes)
 20 Gaudia cum nitida fronte serena dabas.
 Qualem commemorant Spartanis moenibus ortam,
 Quae fuerat Phrygii causa et origo mali :
 Talis erat facies, Veneris certissima proles,
 Praestat virgineis quale Diana choris.
 25 Ibo per extremos Dacos, Suedos, Noribegos,
 Qua ferus et Cimber regna gelata colunt.
 Hic ego direptos dellebo tristes amores,
 Augebit lacrimas humida terra meas.
 Si lacrimis revocanda foret tua vita, puella,
 30 Audirentque meas impia Fata preces,
 Omnia iam nostros auxissent flumina fletus,
 Donec ad superos reddita viva fores.
 Dira lues, seu te produxerit ira deorum,
 Seu, cum deficiunt sidera, saeva venis ?
 35 Seu corrumpuntur Cereris cum dona per agros,
 Quicquid et arboreis fructibus arva creant ?
 Inde vel humano vitatur corpore sanguis,
 Vel sua corporibus dira venena scatent,
 Vel tua letiferi causa est iniuria caeli,
 40 Vel nebulis nocuis, pestis amara, venis ?
 Hinc volucres magnis exire haec regna catervis
 Cernimus atque alias quaerere saepe plagas.
 Seu se sub numerum certum natura reducit,
 Grassaris morbo dum fera, saeva, tuo ?
 45 Quicquid id est, tua causa latet, saevissima pestis,
 Cum subito casu corpora nostra necas.
 Non tris expectas, fureris dum pessima, soles
 Quique hodie est vivus, cras sua busta videt.
 Hic sedet ad placidos laeta cum mente sodales,
 50 Nescio, mox clamat, quid mihi crure tumet.
 Hic ἀπόστημα suo queritur sub gutture natum
 Huncque sub ascellis pustula saeva premit.
 Ille venenosum gerit intra viscera morbum
 Et moritur, signum cum neque mortis habet.
 55 Aegros destituunt socii coniunxque maritum
 Deserit et natos saeva noverca fugit.
 Nec sunt, qui tumulis prostrata cadavera condant,
 Pestifera nullus civis in urbe manet.
 Nec fundit solitos cantus super astra colonus,
 60 Curva ubi per glebam ducit aratra rudem.
 Quam melius fuerat rigidis occumbere in armis,
 Mars ubi sanguineus proelia cruda movet,
 Agmine praesentes ubi quisquis conspicit hostes
 Et vitare sagax vulnera quaeque potest !
 65 Saeva sed occultis feriunt tua spicula telis,
 Pestis, et it trepido plena timore dies.

- Ferrea claustra subis, sublimia moenia scandis
 Ascendens arces per iuga celsa sitas.
 Nec medicina potest saevum depellere morbum,
 70 Dum moritur, medicam qui dare debet opem.
 Nec deus ullus adest, miseris qui ferre salutem
 Iam velit aut votis prosper adesse piis.
 Haec ego dum querulis scripsissem carmina verbis,
 Obduxit oculos maeror utrosque meos,
 75 Cumque soporifera iacuissent membra quiete,
 Visa fuit somnis Ursula cara meis,
 Ursa sub augusta mihi vix iam cognita forma
 Et dixit: „Querulos siste, poeta, modos!
 Ipsa sub Elysiis habito nunc candida campis,
 80 Causa meae mortis nec modo flenda tibi est.
 Dum mox ad superas me Iuppiter evocet auras
 Inque globo Veneris regna beata dabit
 Et sua cum tollet nitidis nox lumina stellis,
 Me tibi praesentem sidera nostra ferent.
 85 Sic visum superis, ut corpora nostra relinquens
 Spiritus in stellas quisque suas remeet.
 At tu, si quid habes nostrum extensurus honorem,
 Fac, titulum clarum nostra sepulcra ferant!
 Et tua nominibus iungentur nomina nostris,
 90 Ut volet in varias fama utriusque plagas.
 Nullus enim maior poterit mortalibus addi,
 Quam, qui defunctos concomitatur, honos.“
 Dixit et in tenues fugiens evanuit auras,
 Quale vapor caelo perditur aurivago.
 95 Ast ego mox lacrimis hoc scripsi carmen abortis,
 Quod referat laudes, Ursula cara, tuas:
 „Ursula Rhenanis decus et vaga gloria ripis
 Hic iacet ad Veneris diva relata globum,
 Pulchra renascentes ut Phoebi nuntiet ortus,
 100 Luceat et, fessos Sol ubi condit equos!“

LIBER IV.,

qui Codonus vel senectus aut Barbara Cimbrica et
 latus Germaniae septemtrionale inscribitur.

1. *In laudem peregrinationis et quod ad cognitionem
 sapientiae et philosophiae necessaria sil,
 ad Ianum Plumulum numquam patrium agrum egressum.*

Plumule, quid plumas semper mihi, marcide, laudas,
 Quis stertis cunctos in tua damna dies?
 Non facit hoc, pullos nido qui concitat, ales
 Nec fera, quae catulis monstrat in arva vias;

- 5 Educens natos campos et flumina monstrat
 Et varia praedas prendere in arte docet.
 Te iuvat in patrio semper requiescere nido
 Et pigrum noto caespite fata trahi.
 Linque focum patrium peregrinaque sidera caeli
 10 Conspice, caelestes si petis ire vias!
 Nam veluti variis mercator quaerit in oris
 Divitias et opes in sua tecta ferens,
 Sic tacitas cupiens naturae noscere causas
 Ipse petas varias in tua lucra plagas.
 15 Nec te vaniloqui moveant vaga murmura vulgi
 Te dicens nullo sistere posse loco.
 Nam cui propositum est naturae cernere vultum,
 Hic mare sub variis cernet et astra locis.
 Sic tibi multiplices patefient ordine causae,
 20 Quas vulgus stolido pectore saepe stupet.
 Quis maris undivagi naturam credere possit,
 Ni videat rauci murmura saeva sali?
 Quisve hominum mores varios, tot et ore loquelas
 Crediderit, causas qui nisi doctus habet?
 25 Quis rapidos ventos, hibernae et sidera noctis
 Et brevis aestivae tempora nosse queat?
 Utque aliis alia nascantur sidera terra
 Hisque cadant, illis semper in axe manent,
 Ni sua qui variis pressit vestigia terris
 30 Atque illam teretis senserat esse globi
 Et circumduci rapida vertigine caelum
 Et septem variis ire per astra rotis.
 Sic primi fuerant peregrini, ut fertur, in orbe,
 Scripta quibus Graiis pulchra sophia libris.
 35 Summus Aristoteles Pellaei castra secutus
 Naturam varias prendit habere vices
 Platoque Niliacas peregrinus venit in oras
 Accipiens animo dogmata sacra suo,
 Pythagoras etiam Latias migrabat in urbes
 40 Instituens Graiae nomina clara scholae.
 A Scythicis veniens Anarcharsis barbarus oris
 Palladio didicit quicquid in urbe fuit
 Atque alii multi, quorum modo nomina clara
 Graecia cum titulis gaudet habere suis.
 45 Reges quin etiam, totum perquirere mundum
 Dum cupiunt, variis bella tulere plagis;
 Magnus Alexander nigros pervenit ad Indos
 Sicque Asiam bello protulit ille suo.
 Quid memorem Alciden et fatum experientis Ulixis
 50 lactatus dubia per freta cruda rate?
 Aeternos loquitur celebris quos fama per orbem et
 Mirantur tales saecula cuncta viros.

- Semper enim dubiis virtus se credere rebus
 Gaudet et insueta pergere ad astra via.
 55 Romanis etiam, qui tot regionibus acti,
 Gratia sit, similes qui genuere viros,
 Qui si pertaesi fuerint tot adisse labores,
 Non foret in tantis scripta sophia libris,
 Et quae naturae facies hominumque propago,
 60 Qui terram variis excoluere plagis,
 Quos inter nitido Caesar fulgore coruscat,
 Cui dederat Nilus sidera nosse vagus,
 Diversos caeli dum pergit visere tractus,
 Doctior est Latiis Ausonis ora libris.
 65 Ipse quoque ut patriis latuisssem Celtis in oris
 Nec peregrina foret terra petita mihi,
 Non Hasilina foret nostris cantata libellis,
 Vistula quam tumidis pulcher alebat aquis,
 Elsula nec tantam meruisset carmine famam,
 70 Ursula nec Rheno saepe legenda meo,
 Nec modo sidereo mea Cimbrica Barbara vultu
 Movisset gelidi membra sopita senis,
 Cuique ego nunc tremulae commito vela senectae :
 Illa mihi quarti finis amoris erit.
 75 Ergo age, iam patrium linquas, rogo, Plumule, nidum,
 Ut videas varias in tua lucra plagas !
 Expergiscere et aude aliquid, quod saecula loquantur !
 Sic tua sub caelo nomina clara volent.
 Quo moriari loco, nil refert. Ad Iovis aulam
 80 A terra spatium semper habebis idem.

2. *Hodoeporicon a Rheno ad sinum Codonum
 et mare Balticum et Tylen insulam.*

- Tempus erat, niveas dum caelum spargere plumas
 Incipit et nubes conglomerare vagas,
 Phoebus ad hibernum dum flectit lumina Caprum,
 Qui noctis spatium maius in orbe facit.
 5 Tunc ego, qui fueram peregrinus in orbe decennis,
 Cogor ad Arctoum pergere forte sinum,
 Orcadibus qua cincta suis Tyle et glacialis
 Insula, ad extremum quam videt unda polum.
 Et iam de Rheno per celsa cacumina pergens,
 10 Quae Phrisius, Chattus Busatoresque tenent,
 Qua Gronigen magna notum est super aethera fama,
 Rudolphi Agricolae patria terra mei,
 Vidrus ubi curvo sinuat sua flumina flexu
 Atque Amasus rauco murmure saxa ferit
 15 Fuldaque se fluvius Visurgi flectit ad undas
 Praebens coenobio nomina clara sacro,

- Inde per Hercyniam nemoroso robore silvam
 Venimus ad terram, quam modo Saxo tenet,
 Pentapolim hinc noto Brunsvigum nomine dictum
 20 Et quae de Gottis urbs generosa manet,
 Quaque scatet multis Goslaria clara metallis,
 Eimbecum et Cereris pocula sana coquit.
 Montibus hinc celsis iam rarescentibus arva
 Pinguia traicimus quaeque Visurgus habet.
 25 Visurge, Saxonice amnis clarissimus oris,
 Sedibus e septem qua Bremis una micat.
 Inde ad Cimbriacam contendo Chersonesum.
 Albis ubi flava sub mare fertur aqua,
 Ad cuius surgit pulchra ostia Cimbrica quondam
 30 Sed nunc de Hammonis nomine dicta polis.
 Eius et ad ripas Magdeburgum nobile splendet
 De septem sacris sedibus una nitens ;
 Condidit hanc primus Caesar, qui dicitur Otto,
 Otto Saxonicae gloria summa plagae.
 35 Inde urbs clara nitet de lunae nomine dicta
 Et Lobecum, Codoni fama decusque sinus ;
 Angulus haec laudis dicta est urbs nomine prisco,
 Nulla quod ad Codonum sit mage clara sinum.
 Angulum in hunc fertur fluvijs Dravena patentem
 40 Efficiens portum plurima vela videns.
 Hic ego dum fessas cupiebam corpore vires
 Restaurare, quies mox mihi parva data est.
 Barbara Cimbriaca hic hilari me suscipit ore
 Et relevat blando corpora colloquio.
 45 Ignibus extinctis grata cum voce favillas
 Suscitatur et vires carmine blanda dabatur.
 Cumque moverentur veteres sub pectore flammae,
 Me iussit quartum scribere laeta librum.

3. *Deploratio senectutis et peregrinationis.*

- Terdenos Phoebi mihi iam facit orbita cursus
 Et super hos decimus cardo volutus adest.
 Et totiens iam bruma nives demisit et imbres
 Et totiens crustis terra gelata fuit ;
 5 Falceque decubuit totiens Ceres alma sub agris
 Et totiens Zephyrus pinxerat arva rosis ;
 Pomaque iam totiens autumnus protulit hortis
 Et totiens Bacchus munera grata dedit.
 Bis mihi vigenus hinc currit lubricus annus,
 10 Prima mihi Phoebi visa ubi lampas erat
 Vitalesque vias et respiramina coepi
 Infans maternis pastus ab uberibus.
 Ora dehinc rigidi cogebar ferre magistri
 Et ferulam rigidam nocte dieque pati.

- Inde per arcanam deductus philosophiam
 Sudabam studio nocte dieque meo.
 Inde situm terrae didici cum Tethyos undis
 Et triplicis linguae per rudimenta feror.
 Verba lyrae sociare fuit mihi summa voluptas
 20 Astrorumque vias Pieridumque choros.
 Nulla meam flexit damnosa pecunia mentem,
 Illi ego non servus, sed mihi servus erat.
 Hinc subii varias peregrinus Teutonis oras,
 Quattuor ad partes quas Alemanus habet.
 25 Iamque ego depilis glabraque in fronte notatus
 Et cani mentum corripuere meum,
 Quale in Goricio feriunt vaga sidera caeli
 Et stant cum calvis saxa nivosa iugis.
 Et mihi iam facies, faveat cui nulla puella,
 30 Cum turpes variis undique vultus habet.
 Invida quae cunctis formam cum tempore tollis,
 Languida cur properas, curva senecta, gradu?
 Tu facis annosis putrescere robora silvis
 Et spolias patulis arbusta grata comis.
 35 Aeripides cervos et equos pernecibus alis
 Exuis et celeres comprimis atra canes.
 Te veniente cadunt in pratis gramina laeta
 Et pereunt hortis lilia odora suis.
 Hei mihi, quo fugiunt lasso de corpore vires
 40 Et coma, quae denso vertice flava fuit?
 Nec vigor in tremulis manibus, mihi vix pedis usus,
 Nec color in vultu talis, ut ante fuit.
 Per faciem totam frons sese exasperat atra
 Et pallent oris lurida labra mei.
 45 Rarescunt dentes citrini et in ore coloris
 Decidui et saeptum deseruere suum.
 Emoriturque suo mens deficiente calore,
 Quale solet tepido lenta favilla rogo.
 Dissideo mecum, probo nec mea tempora Celtis,
 50 Qualis sum, nolo; nescio, qualis eram.
 Et me iam fugiunt relevantes maesta sodales,
 Quique dabant olim gaudia grata iocis.
 Non animus talis, qualis iuvenilibus annis
 Quondam erat, et vires perdidit ille suas.
 55 Nec me somnus alit per longae taedia noctis
 Umectans requie corpora fessa sua.
 Sed variae surgunt curae cum pectoris aestu
 Et veniunt miris somnia dira modis:
 Venturae mortis terrent simulacra sopitum,
 60 Auribus instillant: Cras moriturus abi,
 Iturus nigras terrae, moriture, sub oras,
 Quis Rhadamanthus atrox crimina cuncta rogat.

- Eumenides ubi triste sonant, truculenta tyranni et
 Aula sonat diris percita verberibus,
 65 Cerberei flatus ardenti ubi sulphure fumant
 Fatalesque deae tempora maesta rotant.
 Hinc me circumstat vitiorum turba meorum,
 Dum fervet saeva pectus avaritia,
 Parte alia me affligit Amor stimulatque Cupido
 70 Et movet exigua corpora pigra face.
 Qualiter hibernae iam restat portio lucis,
 Hibernus cum te Sol, Capricorne, tenet,
 Lucem Cimbriacas minimam tunc spargis in oras
 In parvoque micas lumine, *Πανταχόθεν*,
 75 Iamque parum aluerit, totam quin cardine noctem
 Inducas horis vix tribus axe micans.

4. *Laus senectutis et veterum philosophorum in
 philosophia meditationes.*

- Magna fuit quondam senibus sapientia canis,
 Quo coram iuvenis poplite flexus erat
 Quique capillosam nudavit vertice testam
 Ore verecundo verba pudica loquens.
 5 Pristina ob hoc credo tribuisse his saecula honores,
 Quod sanctos mores et pia facta darent.
 Ast me iam cano glabroque in vertice multa
 Stultitia exagitat, dum Venus ipsa placet.
 Torret amor pectus, tenero quoque concoquor igne
 10 Et praeter teneras nulla puella placet.
 Quod si castigant fido me in amore sodales,
 Illis responsum carmina nostra dabunt:
 Graecia septenos habuit tantum sapientes,
 Qui patriam ingeniis erudiere suis,
 15 Italo adhuc nullus nobis numeratus in orbe est
 Et neque Germanis inveniatur agris,
 Ibis ad Hispanos, Gallos et in orbe Britannos
 Extremos, Dacos Sarmaticosque viros,
 Invenies paucos, quos *φρόνησις* alma tenebit
 20 Et quos naturae sollicitaret opus,
 Divinas atque humanas qui pectore causas
 Versarent, raro sidere proveniunt:
 Ergo senex fugiam sapientis nomen et artes,
 Stultitia plenus cum vagus orbis eat!
 25 Ob bene vivendi rationes philosophatur
 Iam nemo aut, quae sit vita beata, petit.
 Propter divitias solum nunc discitur orbe,
 Turpius et nihil est, quam modo habere nihil.
 Hic medicos sequitur, iuris petit ille peritos,
 30 Ille sacros libros ob sacra lucra legit,

- Hic claris titulis septem sibi vendicat artes
 Grammaticam et logicam vix docuisse potens,
 Hic audet sacram lauri deferre coronam,
 Solvere qui versus nec facere arte potest.
 35 Hinc tota ad quaestum fertur meditatio mentis,
 Dum gravis egestas pectus inertis habet,
 Et per mille dolos et vafri pectoris astus
 Divitias et opes accumulare studet,
 Quippe libido ferox, simulatio, luxus, honores
 40 Illius mentem detinuere trucem.
 Hos non philosophos Plato, sed bene *φιλοσωμάτους*
 Dicit, corporeis dum studeant vitiis.
 I, puer, et teneram subito emercato puellam,
 Bis sena currit cui sua vita rota
 45 Quaeque pharetratae vectigal solvere Lunae
 Incipit et Veneris militat arte rudis.
 Nulla mihi effetis placeat iam femina membris,
 Sed cui iam fratrans turgida mamma tumet.
 Illa meas totas exhauriet aere crumenas
 50 Decipiens stolidum docta puella senem.
 Nec mihi sit curae, quod me vicinia damnet,
 Quandoquidem nummus crimina cuncta tegit,
 Nummus tot veniens sacris absenter ab aris,
 Hoc sacrae Veneri sacra pudenda dabo.
 55 Septenisque horis pulchram exorabo puellam,
 Septem criminibus quae mihi causa fuit.
 Sed tamen angustae surgunt mihi pectore curae,
 Quae trepidum pectus sollicitare solent,
 Scilicet an superi curent pia vota bonorum
 60 Et pravos dignis perdere supplicii,
 Quisve malis finis vel quis post fata bonis sit,
 Quem Cicero docto disputat ore locum,
 Quis locus emeritis et ubi sit carcer opacus,
 Eluit assiduis qui scelera acta rotis,
 65 An semper fuerint glebosae flumina terrae,
 Unde suis tantus fontibus humor eat,
 Quotque habeat Rhenus annos, quot et impiger Hister,
 Vistula et Arctoo Codanus ipse sinu,
 An crescant montes, caelum subsidat an altum,
 70 Unde tremor terris et calor altus aquis,
 Qua causa volitent nunc tot per rura locustae,
 Quae spoliant fruges laetaque prata vorant,
 An nova naturae facies hominesque noventur
 Et linguae et mores aetheriusque polus,
 75 Quin etiam an stellae nitido generentur in axe,
 Accolae Erythraei ceu cecinere maris,
 Qui conquisissent ubi curvae alimenta senectae,
 Naturae causas quaerere cura fuit.

- At nos ad Musas iuvenes migramus egentes,
 80 Divitias nobis philosophia negat;
 Quique ex proseuchis, stabulis et olentibus orti,
 His modo nummosas sors vaga donat opes,
 Ditiior inter quos Vestali matre creatus
 Et quem testiculi progenuere sacri,
 85 Qui scelus omne movent rudibusque altaria vendunt
 Commutantque suis pingua sacra dolis
 Iuraque per sanctam repetunt anathemate Romam
 Intentantque sibi fulmina rauca Iovis.
 An deus inclusus mundi cum mole laboret
 90 Vel liber tantum deserat auctor opus
 Et sic fortuito moveantur singula casu
 Et titubet dubio sorsque deusque gradu,
 Qui voluit recta nos omnes esse figura,
 Sed reliquis pronam finxit humi faciem,
 95 Ut quinque in caelo zonae terraque trahantur
 Tres steriles, vitam sed tenuere duae,
 Et quas zodiacus non recto intersecat orbe
 Bis senisque nitet clarus imaginibus,
 Sub quibus errones rapiuntur sidera septem
 100 Adversisque viis lumina clara ferunt,
 Utque alia oblique Nabathaea per aequora surgant
 Signa, alia in recta cernimus orta via,
 An fatum ex illis vel constant omnia sorte,
 An natura potens vel deus illa regat.
 105 Illa ego sollicito tractassem saepe labore,
 Barbara nî quarto nostra canenda libro.

5. *Ad Barbaram beneficia sua commemorans.*

- Unica quae restas mea, Barbara, sera voluptas,
 Quae non fastidis, femina blanda, senem,
 Quaeris, quo sensi tua veri signa favoris,
 Accipe: non noto munera saepe dabas.
 5 Quicquid ab assiduo tibi partum, cara, labore est,
 Hoc dederas larga, Barbara laeta, manu.
 Dira lues nosiros ubi nuper presserat artus
 Cogens me tepido saeva iacere toro
 Cumque mihi nullus, rarus vel adesset amicus,
 10 Qui gereret verae pignus amicitiae,
 Sola mihi praesens nostrum solata dolorem
 Larga mihi medicas saepe ferendo dapes,
 Iuscula nunc miscens ferventi et iure polentas,
 Radices, succos, poma et odora dabas.
 15 Nec mihi defuerat granosum cortice pomum
 Extinguens aestus, Barbara cara, meos,
 Nec mihi defuerat pullus, capus, altilis, oryx,
 Omnia sollicito larga favore dabas.

- Unguentisque tuis variis mea membra fovebas
 20 Restituens vires, Barbara cara, meas.
 Balnea cum variis herbis mihi saepe struebas,
Ἀνναῖος tibi cognita tota fuit.
 Nec sic dilectos genitrix observat alumnos,
 Officiosa mihi, Barbara, quam fueras.
 25 Inde tibi aeterno devinctus Celtis amore est
 Virtutesque tuas carmina nostra canent,
 Carmina quae quarto tibi in hoc cantata libello,
 Quo tua posteritas nomina clara leget.
 Octavus Scythicum dum merget Plaustra sub aequor
 30 Orbis et occidua Sol orietur aqua,
 Balticus Euxinum quando sinus exit in Histrum
 Et Tyle a rigidis destituetur aquis:
 Immemor aeterni fiet tunc Celtis amoris,
 Barbara, in Arctois femina clara plagis.
 35 Cumque ad cognatum transibit spiritus astrum
 Et consanguineo sidere vita volat,
 Corpora nostra simul rigida tumulentur in ora
 Et saxum hunc titulum mox utriusque feret:
 „Hic sua cum Celtis sepeliverat ossibus ossa
 40 Barbara, in Arctois femina clara plagis.“
 Arcticus extremum concludens circulus axem
 Vertice κατ' ἔτος nostra sepulcra videt.

6. *Ad Barbaram senectutem suam sibi commendans.*

- Iam mihi sexta fluit collectis viribus aetas,
 Septenam hebdomaden, Barbara, spero meam,
 Dum cucumer mihi fronte sedens et pluma nivalis
 Deformesque genas ruga senilis arat.
 5 Tu mea cum blandis impellens pectora verbis
 Sollicitas Veneri sacrificare iocis.
 Ast ego quid faciam languenti, Barbara, nervo,
 Dum mihi displiceam factus amore senex?
 Me tamen addixit tibi inexplibilis ardor,
 10 Blanda Venus nostris quem serit alma animis.
 Magna Codoneae tibi danda est fama puellae,
 Quae relevas laetis pectora nostra iocis.
 Sed velut a Librae descendens sidere Phoebus,
 Mundus habet caelo languidiore dies,
 15 Sic mea iam vergens sub sidera pigra Bootis
 Aetas iam teneris viribus aegra caret.
 Nec triuges sic pellit equos per Pannonis oras
 Ungarus, ut celeri tempora nostra fluunt.
 Omnia, tempus, alis, rapis omnia nata per orbem
 20 Omnia perpetuo cardine saecula ferens.
 Tempore languescunt flores et tempore surgunt,
 Tempore mammosum pectus abire solet.

- Pratorum spoliatur honos cum tempore, pallent
Gramina et effeta terra fatiscit humo.
- 25 Sic mihi iam solitae tenuantur tempore vires,
Enecat Herculeos curva senecta viros.
Dum mihi pubertas teneris fervebat in annis,
Mox Hasilina meo capta in amore fuit,
Deinde ad spumiferum dum me sors protulit Histrum,
- 30 Elsula carminibus mi celebrata fuit,
Ast ubi per Rhenum nuper me sidera volvunt,
Ursula Teutonico vate superba fuit.
His tribus intento steterat mihi ramice nervus
Plurima conficiens bella cruenta toro,
- 35 Qui nunc languescit priscorum oblitus amorum
Et cadit et prono lumine spectat humum,
Nec galea tectus rigidam nunc erigit hastam,
Turgebat totiens, dum iuvenilis erat.
Omne aetas vitium iuvenilis corporis aufert,
- 40 Solus amat Bacchum verbaque multa senex ;
Quodque magis mirum supremæ in fine senectæ,
Vexatur sola pectus avaritia.

7. *Ad Lamiam ancillam a congressu Barbaræ
spe quaestus se prohibentem.*

- Perfida, quid cupide Veneris mihi vota moraris
Perversa ingenio, Lamia saeva, tuo ?
Barbara pollicita est speratae gaudia noctis,
Sed me disiungis, Lamia saeva, toro,
- 5 Perfida, quo nostram cupis exhaurire crumenam,
Dum dominam tacito vendis avara dolo.
Di tibi dent gelido semper requiescere lecto
Infidusque tibi semper amator eat !
Cumque tibi prurit calida tentigine fossa
- 10 Et promissa tibi gaudia noctis habes,
Hic te decipiat alioque fruatur amore
Te cogens longa spem retinere mora.
Experiere meos tandem quos mente dolores
Sustinui, dominam dum mihi, saeva, negas.
- 15 Rivalisque meus, cuius nunc languida amore es,
Illius hic vindex fraudis et ultor erit.
Terque quaterque tuum crudo cum verbere tergum
Pulset et increpitet virga sonora nates.
Cumque tuo dormis tanquam securo cubili
- 20 Et placidus somnus te, malefida, tenet,
Ille superveniens baculo tua terga domabit,
Vindicet et fictos in mea vota dolos.
Iam scio, quod toto nihil est fallacius orbe,
Quam cui cuncta regens femina, numme, places.

8. *Invitatur a Barbara, ut more Lubicensium secum cellas subterraneas ingrediatur.*

- Aurea barbigero volvit modo lumina Capro
 Phoebus et hibernos Nox remoratur equos
 Vixque suos radios tribus horis spargit in orbem
 Ducens opposito lumina clara polo.
- 5 Algidus hinc Boreas furiens glacialibus undis
 Iam Codanum gelidis obstupescit aquis:
 Quaque prius tenui currebant limite naves,
 Hic modo quadriiugis plaustra trahuntur equis,
 Iamque super glaciem baculo subnixus in auras
- 10 Se tollit, celeri currit et inde pede;
 Sparsus et albenti canescit vellere campus
 Et tegitur niveis arbor operta comis;
 Pratorum latet omnis honos et semina terrae,
 Donec fetifico lumine, Phoebe, redis.
- 15 Cimbrica, quid facimus glaciali, Barbara, caelo?
 Quo nos ferre iocos, ludere quove decet?
 „Est mos, Arctoo quo se Germania claudit
 Aequore, quo rigidum temperet aura gelu,
 Sub terra effossis facimus convivia cellis,
- 20 Quis laridum crudum farsaque cruda damus
 Cum strumulo caeso butyroque in pyxide salso
 Et Bacchum et Cereris pocula aquosa damus;
 Phoebeus rigidas globus ut se condit in undas
 Noxque suos oculos protulit ignivomos
- 25 Cumque processerunt stellati sidera mundi
 Effulsitque suo iam Cynosura polo,
 Mox noctem ludis, Baccho Cererisque liquore
 Ducimus, aequali et pocula lance volant.
 Huc mecum tectus descendes vertice, Celtis,
- 30 Sub terris quae sint gaudia grata, videns.“
 Dixit et obduxit faciem nigrante cucullo
 Moxque ego pullato vertice vado comes.
 Iamque fuit ventum sub subterranea castra,
 Quae Ceres et Bacchus, Cypris et alma tenet.
- 35 Elysiis positum campis me forte putabam
 Atque locis, quibus in turba sepulta sedet.
 Tam varios video lusus et ludicra verba,
 Oscula et amplexus, quicquid et audet amans.
 Iamque ego non noctes tenebrosas ire putabam,
- 40 Sed qui vernali ridet in axe dies.
 Gaudet Amor tenebris, volat et sub nocte Cupido
 Noxque placet Veneri, Baccheque blande, tibi.

9. *Ad Barbaram ad aequales haustus se urgentem.*

- Iam cuperem Stygias Plutonis adire cavernas,
 Barbara dans aequa pocula lance mihi,
 Cum Venus et Bacchus fortissima pectora frangunt,
 Infirmis fugiam pocula utraque senex.
- 5 I, precor, extremos illa cum lance sub Indos,
 Terra ubi perpetuo tosta calore sitiit,
 Aut pete vicinas Pomeranas ebria terras,
 Aut pete Sarmaticas, Barbara saeva, plagas,
 Vel pete Sauromatas, ubi Revola Rigaque surgit
- 10 Ultima de septem sedibus alta micans.
 Barbara, vesano quid flectis lumina motu
 Signaque das oculis non mihi visa prius?
 Ebria Germano vitio suffusa laboras,
 Nam titubant gressu lingua pedesque suo.
- 15 Quid iuvat insano pectus lymphare veneno
 Et male composito gutture verba loqui?
 Hei mihi, Teutonicas non reddis, Barbara, voces.
 Dacica cum Scoticis, Barbara, verba vomens!
 Et caput huc illuc iactas et spurcida verba
 Lingua supervacuis personat ore sonis.
 Ira, cupido, furor Veneris, monstrosa voluptas
 Ebrietate ferunt continuasse gradum.
 Taurus habet certas potandi tempore leges,
 Sic equus et, liquidus quam vehit aer, avis:
- 25 Sed nos divina qui cum ratione vigemus,
 Cur Venus et Bacchus nocte dieque tenet?
 Icarus occiditur, primus quia pocula Bacchi
 Protulit; — haec vulgus dira venena ratus,
 Dum poti caderent proni facieque supini
- 30 Et toto nullus corpore sensus erat; —
 Erigone miserata patrem canis ora secuta est,
 Iuppiter ad superos donec utrumque locat.
 Ebria quid nostras laceras modo, Barbara, vestes?
 Barbara, tuum stimulat saeva libido iecur?
- 35 Ebria quid figis madidis mihi basia labris?
 Me tecum ad lectum quid temulenta trahis
 Mutonemque suis cupis exturbare latebris
 Inquirens manibus condita regna tuis?
 Pande sinum! distende pedes! mea spicula tendo.
- 40 Figatur gremio nostra sagitta tuo!
 Non tantum nostros Germanos, Bacche, fatigas,
 Hispanos, Gallos Italicosque tenes,
 Utque stetit quondam Latia ille Triconchius aula,
 Sic hodie Italicis ebria turba plagis,
- 45 Quamvis nos turpi Germanos *σώμματα* laedunt
 Ebria Teutonico pectora habere solo.

- Quattuor at haustus prisci meminere poetae,
 Prodidit arcano ut Graia sophia libro :
 Ora rigat primus sitibundis, gaudia mentis
 50 Alter habet, Veneris tertius antra petit,
 Quartus ad insanos detrudit pectora motus,
 Ebrius exerta dum quatit arma manu.
 Utque peracta ferunt quondam hoc συμπίσσια more,
 Sic in amore solent quattuor esse gradus :
 55 Primus habet tacitos animos, sed verba secundus,
 Tertius in visu est, inguina quartus amat,
 Quintus amat nummos, locat et sua corpora nummis,
 Nomine non vero est sed simulatus amor.
 Barbara, sed cunctos complexa es, callida, amore !
 60 Iam scio mobilius quod muliere nihil.

10. De furia Barbarae,
 dum vidisset se oppressisse famulam.

- „Vidi ego nunc, oculis o quanta iniuria nostris !
 Vidi ego, quae furias elicuere meas,
 Vidi ego, quae exacuunt nostros in proelia dentes,
 Vidi ego, quae cogunt corripere arma manu,
 5 Vidi ego, visus habet notissima signa favoris,
 Sit quamvis caecus, plurima cernit Amor,
 Vidi ego, proh superos ! nec possum visa tacere,
 Celtice, te famulam supposuisse meam !
 Sueva fuit, tota qua nulla salacior urbe est,
 10 Postquam tu fureris ceu leo Maurus agris.
 Illa vorat, quicquid tibi nostra crumena reponit,
 Et gestat digitis munera nostra suis.
 Terque quaterque tuo ramoso hanc ramice tundis,
 Sed geris in nostris inguina lenta toris
 15 Et postquam accepit te nostri culcitra lecti,
 Te simulas aegro corpore posse nihil.
 Quemque mihi debes addicto foedere nervum,
 Praeripit omnivorans bestia spurca mihi.
 Huic ego perfodiam candentia lumina frontis
 20 Putrescentque sibi femina carminibus !
 Tuque refrigescens nostrumque perosus amorem,
 Efficiam veretro vulnera saeva tuo
 Afficiamque tuas ferventi bile medullas
 Te cupidum tento ramice posse nihil !
 25 Tunc tremulo incedes curvatus poplite in urbe
 Infamisque mei fabula amoris eris.
 An nescis succos me noscere, semina et herbas ?
 Femina nulla magis docta veneficiis !
 Arte mea Codonus furiosas elevat undas
 30 Carminibusque meis fluctibus astra ferit ;

- Arte mea possum lunam deducere caelo
 Atque gelare vagas doctaque sistere aquas ;
 Arte mea laetas ferio cum grandine fruges
 Et Bacchum nostris aufero carminibus ;
 35 Arte mea sculptus sub certo est annulus astro
 Crystallusque mihi abscondita quaeque canit ;
 Arte mea scriptus nuper mihi forte character,
 Qua Moses Pharium meraserat arte ducem ;
 Arte mea expressa est, qua pectora dura liquescunt,
 40 Cera et vesano concoquit igne viros ;
 Arte mea tumidis mihi lac subducitur agnis
 Aspectuque meo fascino, quaeque volo ;
 Arte mea possum sanis inducere morbos,
 Poenarum et quicquid sub Styge Pluto tenet ;
 45 Arte mea possum superas revocare sub auras
 Manes et Furiis impero docta tribus ;
 Arte mea invidiam durum converto in amorem
 Affectusque meo carmine quosque rego.
 Hoc ego perficiam per teque tuamque puellam,
 50 Artis et effectus experire meos !
 Tunc ego ridebo vestros in amore dolores,
 Inficiat vestras pallor utrasque genas.
 Fulgida dum gestat stellatus sidera mundus
 Allecesque suos Scandia dives habet,
 55 Virtutemque suam dum servat succus et herba
 Et verbera meis artibus apta manet,
 Dum strumulus rigidum prendetur siccus ad Arcton,
 Succinus et Codanis inveniatur aquis,
 Carmina dum possunt humanas vertere mentes
 60 Et vires magicis artibus esse solent,
 Dum furor antiquas vetulas prurigoque vexat,
 Invidiae et stimulis saeva calescit anus :
 Ipse mihi invisus semperque invisus puella est,
 Quae te de nostro reppulit arte toro.“

11. Ad Barbaram, dum osculum eius peteret.

- Alciden memorant, totum dum circuit orbem,
 Oscula et amplexus saepe dedisse vagum
 Arboribus saxisque, feris animalibus atque,
 Ut caperent vires corpora fessa novas.
 5 Quosque in deliciis servant, retinent et amantes
 Oscula, contactus blandaque verba petunt.
 Ast tu me rigido fugis, improba Barbara, vultu,
 Barbara, cui nomen littra canina dedit.
 Ante meam faciem tribuis mihi candida verba,
 10 Post me serpentis lingua trisulca sonat.
 Et mihi canitiem nudoque in vertice testam
 Obicis et glabrum dicis habere caput.

- Talis erat primus Romani conditor orbis
 Iulius et stellam qui genitricis habet ;
 15 Talis erat Ianus bifronti vertice notus,
 Qui tenet in Latio delubra clausa solo ;
 Talis erat quartus Karolus cognomine dictus,
 Qui Caesar toto clarus in orbe fuit ;
 Talis erat calvus, libros qui scripsit amorum,
 20 Talis ego, quartum qui modo claudio librum.
 Ast ego quid tecum convicia longa parabo ?
 Est stolidus rixas cum muliere gerens.

12. *Ad Barbaram obiurgationibus suis respondens.*

- Barbara, barbaricis quae nata es dura sub oris,
 Dura, tuo vacuum iam me in amore scias.
 Nam quis ferre potest stolidae convicia linguae
 Quaeque moves semper iurgia multa mihi ?
 5 Dumque inter rixas damus aemula murmura vocis,
 Verba mihi tecum, non mea corda sonant.
 Non ego ferre queo cani modo taedia lecti
 Et depuge femur membraque sicca toro.
 Succus abit gelido tibi, Barbara, corpore, nosti,
 10 Aruit et rigido pectore mamma tuo.
 Hispida rugoso mea tundis corpora tergo
 Exprobrans tota praedia nocte mihi
 Quodque mihi dotem nummosa impenderis arca,
 Qui nimium tenuis pauper et ante fui.
 15 Annosa ut fisso se scindit cortice quercus,
 Tale tuum corpus ruga senilis arat.
 Erius potius lecto mihi nocte fovendus,
 Femina quam, rixas quae mihi nocte movet.
 Nec mihi luce sinis placidam captare quietem,
 20 Ira tibi et vultus semper in ora minax.
 Altera Tisiphone furiens fera proelia misces
 Pallida rixosis faucibus ora gerens.
 Qualiter Arctoo consurgunt aequore fluctus,
 Dum fera tempestas sidera celsa ferit,
 25 Et mare velivolum tumida cum voce remugit
 Et trepidat dubia naufraga turba rate :
 Sic tua perfuriunt rabioso a gutture verba,
 Quae turbant totam, Barbara saeva, domum.
 Explodisque meos furiosa voce sodales,
 30 Quique mihi est carus, displicet ille tibi.
 Utque lupo furvisque legens sub noctibus aurum
 Nullius addictas curat amicitias,
 Sic, quem mente coquit Veneris damnosa voluptas,
 Nullius curat spurcus amicitias
 35 Sectaturque suam felici sorte puellam
 Oblitus famae deteriora sequens.

- Cincta anubus vetulisque tuis garritibus aptis
 Exploras, quicquid vulgus in urbe facit;
 Accedunt raso qui incedunt vertice tonsi,
 40 Hi tibi depilant, Barbara, quicquid habes,
 Et tibi promittunt splendentia sidera caeli,
 Expertes caeli quos sua vita probat.
 Quod tibi iam totiens suspectus causor amore
 Et teneras praedas dicor in urbe sequi,
 45 Ingenue fateor: teneram mage nocte puellam
 Deligo quam, nummos quae mihi ferret, anum!
 Quodque mihi magicas per cantus saeva minaris
 Per herbas, mentes quae vitiare solent,
 Accipe responsum Phoebeo ex ore relatum:
 50 Ingenuos animos carmina nulla ligant!

*13. Invitat Barbaram ad hortum,
 ut secum diem conceptionis suae celebret.*

- Candida Cretaei lustrabat sidera Tauri
 Phoebus et in Ledae sidere fecit iter,
 Ipse ego me riguis tunc oblectabar in hortis,
 Qua garrit vitreis lubricus amnis aquis,
 5 Non longe a portu, qua se Dravena sub aequor
 Volvit et in rigidas it taciturnus aquas.
 Iamque inter laetos floresque rosasque sedebam
 Et dulces risus blandaque verba iocis,
 Hic ubi terra suo vernali spirat odore
 10 Et laxat gremium feta calore suum.
 Roscida complebant patulas mihi lilia nares.
 Attraxit vires et mea vita novas
 Et titillabat corpus iam blanda voluptas,
 Phoebus ubi nostrum pergit adire polum.
 15 Ergo age, solve animos roseisque recinge corollis,
 Barbara, flaventes, Cimbrica, laeta comas!
 Ergo age, solve animos solito de more faceta,
 Ut releves salibus pectora nostra tuis.
 Nunc disiunge pedes herboso caespite torpens
 20 Concerpens flores, Barbara, odoriferos.
 Abice, quaeso, tuam niveo de corpore pallam
 Subque umbris densis corpore nuda sede!
 Cernis, ut iste locus nemorali consitus horto est,
 Murmurat et tremulis herbifer amnis aquis.
 25 Has inter corylos det gaudia blanda Dione,
 Sternantur nostris gramina lenta iocis.
 Nunc diffunde tuas distentans poplite suras
 Accipiens gremio gaudia verna tuo.
 Nunc diffunde animos, priscorum more virorum
 30 Placabit genium cena superba meum.

- Conceptus Maiis fueram qui forte Calendis,
 Primae hae natalis, Barbara, origo mei.
 Nunc diffunde, precor, ferventis pocula Bacchi
 Et foveas placidis corpora nostra cibis.
 35 Nunc diffunde animos plantamque innectere plantae
 Daque, age, gramineo basia grata toro.
 Nunc diffunde animos, iam ciscampestribus oris
 Tangam nostram inter crebra salicta lyram
 Nostraque per totum volitabunt carmina mundum et
 40 Nominibus nostris fama perennis erit.
 Nunc diffunde animos, mea Barbara, vicimus omnem
 Invidiam: doctis carmina nostra placent.
 Et leget haec *Φαίτων* crispanti nare superbus,
 Ingenium cuius nil nisi nummus habet,
 45 Ambitio et caros mordentia labra sodales,
 Callidus et sola non probitate potens;
 Hos abigit, illos nunc subrogat ora minaci
 Atque urbis totum vindicat imperium;
 Palladis et Phoebi voluit qui ducere currum,
 50 Sed cecidit poenas mox luiturus iners.
 Quippe sua irrisit Graneus inania vota
 Donans Phoebeis libera tecta viris;
 Ille ubi non poterit, quos debet, scribere versus.
 Rumpatur magna luridus invidia. —
 55 Primus Teutonicas conspexi finibus oras
 Quattuor et scripsi quattuor inde libros:
 Primus Sarmaticos Hasilinae continet aestus,
 Elsula dehinc nobis flamma secunda fuit,
 Tertia per tumidum celebrata est Ursula Rhenum,
 60 Quarta mihi finis, Barbara, amoris eris,
 Hic ubi perpetuo concreta est terra rigore
 Et stant Arctoo sidera pigra polo.
 Ergo age, solve animos, stant tutae in litore naves,
 Temporibus nullis fama utriusque perit.

14. *Navigationem ab ostiis Albis ad Tylen insulam
 aborta tempestate describit.*

- Collige sarcinulas, mea Barbara, collige, quicquid
 Ituros rigidum per mare ferre decet!
 Nam turba ter sonuit, sonuerunt classica ponti,
 Prosper in Oceano ventus in alta vocat.
 5 Funde cadis vinum Cererisque impleto liquore
 Vasa, age et has corbes pane repleto leves!
 Ingere fumatas bovis et suis impigra carnes
 Et farsa et butyrum cum sale conde tuum!
 Nec tibi deluerint stomachos firmanitia nostros,
 10 Zingiber et quicquid cor recreare potest.

- Nam cum perventum est pansis super aequora velis
 Et mare de fundo cuncta sepulta movet,
 Taeter odor nostras implebit, Barbara, nares
 Eliciens stomacho, Barbara, quicquid habes.
 15 Nulla est quae poterit tantum medicina levare,
 Quam mare, quod quaeque in ventre sepulta movet.
 Illa ubi constiterint, mea Barbara, singula iussu,
 I, precor, ad sacrum mox reditura virum,
 Cuius in amplexu iacuisti saepe sacro,
 20 Saepe sacer gremium presserat ille tuum;
 Neptuno solvat, sibi dic, quod candida vota,
 Felici ut cursu per mare navis eat.
 Nauticus exoritur clamor, mea Barbara, curre,
 Ingredere, ad nostrum consideasque latus!
 25 Ponticulum attraxit nauta, ancora fune soluta est
 Iamque aestus veniens tollit in alta ratem;
 Aestus septenis vicibus qui litora mutat,
 Cuius adhuc cunctos condita causa latet:
 Sive ingens animal, totum quod dicimus orbem,
 30 Spiramenta suis faucibus illa vomit;
 Seu subtus terram latebrae extenduntur inanes,
 Luctatur ventis in quibus unda feris,
 Aeolus absorptam quam mox iaculatur in auras,
 Hinc ubi subsideat, ventus in astra levat;
 35 Sive ex congressu Solis Lunaeque recessu
 Mutant tam varias aequora salsa vices;
 Caelorum aut virtus diversis motibus acta
 Impellit tumidum sic remeare salum,
 Nam septem Eoium se impellunt sidera ad ortum,
 40 Occiduum octavus sed petit orbis iter.
 Quicquid id est, fugiunt nostram haec miracula mentem.
 A diverticulo nos repetamus iter!
 Illi abigunt tonsis curvo de litore navem,
 Applicat hic remos concutiendo vagos,
 45 Flammivomam incendit bombardam hic; vastus in aequor
 It fragor et fumus sidera clara tegit.
 Hic celer ascendit constringens fune rudentes
 Antemnasque suis cornibus exsinuat.
 Turgida vela tument: prosper volat Africus alis
 50 Et Zephyrum socium iussit adesse suum.
 Et iam sub septem spectant vaga rostra triones,
 Qua cincta est rigidis insula Tyle vadis.
 Incipimus laeti concinno carmine cantum,
 Quod canit altitono nautica turba deo:
 55 „Nomine nunc domini vehimur, qui cuncta gubernat,
 Nobiscum cuius gratia semper eat.
 Adsit et adiutrix sua per mare sancta potestas,
 Ut capiat portum nostra carina suum.“

- Interea hic zonam ducit spirasque relaxat
60 Inque orbes varios implicat arte suos.
Cum labor exactus, gelido se corpore quassat
Brachia cum manibus concutiens rigidis
Nuncque has, ut tepidum flatum exspiraverit, ori
Admovet et stupidos pulsat utrosque pedes.
65 Qui sedet ad clavum vasto cum remige, puppem
Invertit, navem quo cupit ire iubens,
Et Magnete suo ventos observat et auras
Proclamans noto nomine quemque suo :
Nunc Zephyrum appellans, nunc Euri flamina clamat.
70 Nunc Boream et madidum provocat ore Notum
Et latera afflantes hos quatuor evocat ; omnes
Terdenos memorant et simul esse deos
Praeter eos, quondam fertur quos Aeolus antro
Non de legitimo procreavisse toro.
75 Iamque bis octonis vehimur feliciter horis,
Donec Sol tepidos sub mare flexit equos.
Ecce nigra a madido nubes se sustulit austro
Et tenebris totum texit aquosa polum.
Tum mare per tumidos coepit crudescere fluctus
80 Albescitque fero candida spuma freto
Delphinusque maris sua terga in margine volvit
Et canis aequoreus tollit in alta caput
Et monicus piscis, qui tectus pelle cuculli,
Emicat : undosi signa futura maris,
85 A cuius visu sumunt proverbia nautae :
Enatat ut monicus, mox freta turbat hiems.
Mox ruit Arctois Boreas demissus ab antris,
Proelia quem contra fervidus Euris agit,
Hinc vomuit furiens sabulosas pontus arenas
90 Et Styge Tartarea nigrior unda furit.
Iamque propinquabat nostro stans vertice nubes
Crebraque fulmineis ignibus emicuit
Et vasto sonitu concussus inhorruit aether,
Ceum iam rueret fractus uterque polus.
95 Plurimus inde ruit resolutis nubibus imber
Et madefacta suas carbasa per pluvias.
Iamque salo coepit spirare valentior Euris,
Occupat et totum marmoris imperium.
Tollitur ad caelum validis ratis acta procellis,
100 Mergitur infernum hinc ceum subitura specum.
Fluctuat in tenebris pluvioso et in aere navis,
Mersa Acheronteis ceum foret illa vadis.
Omnia nimbose latuerunt sidera nube,
Utraque nec visa est Ursa micare mihi,
105 Nec Cepheus, mitra qui tectus pontificali,
Visus erat, toto et sidera nulla polo.

- Ipse ratis rector demittere cornua clamat
 Et vela antemnis mox religare iubet,
 Hinc alii remos ducunt malumque rescindunt,
 110 Coepimus et medio sic fluitare salo.
 Exoritur vastus cunctorum ad sidera clamor
 Incertusque suae quisque salutis erat.
 Qualiter Austriacam clamatur forte per urbem,
 Bacchica de cellis turba ubi vasa trahit,
 115 Aut qualis clamor nautarum, ubi navis in Histro
 Infert Bavaricis dolia multa plagis.
 Vestibus expeditor, spes si foret ulla natando,
 Et tabulam aut remum prendere puppe volens,
 Barbara tum nostros amplexa fideliter artus
 120 Cum gemitu et lacrimis haec mihi verba dedit :
 „Si tua committes, Celtis, modo corpora ponto,
 Te comitem intrepide mox peritura sequar
 Ipsaque desiliens ; una iactabimur unda
 Aequeorea, donec terra petita simul.
 125 Vel si non dabitur placidas contingere terras,
 Nec nostra ad litus corpora fluctus aget,
 Hoc mare letiferum nobis commune sepulcrum
 Iam detur ; hunc titulum naufraga membra ferant :
 Barbara cum Celte his vitam finivit in undis,
 130 Infausta Tylen dum petiere rate.“
 Dixit. Ego trepido concepi pectore vota
 Neptuno, ut nostris vellet adesse malis :
 „Eripe me hoc, Neptune, mari ! tibi vota quotannis
 Persolvam et placido carmina multa dabo,
 135 Adiciens numquam tua me super aequora ferri
 Velle, peregrinas nec penetrare plagas.
 Nam nostro tota est Alemania visa labore,
 Scripta et limitibus quattuor ipsa suis.
 Quod superest vitae, superi, concedite Celti,
 140 Illud ut exiguo sub lare tutus agat !“
 Audierant ; fesso et mox somno visus in alto est
 Talia Mercurius qui mihi verba dedit :
 „Postquam Teutonicas remeabis, Celtis, ad oras
 Velaque Germanis te exposuere plagis,
 145 Pergito imbrigenas festinabundus ad Alpes,
 Qua tria conveniunt flumina clara simul :
 Isis ab Eois, Athesis sed sole cadenti,
 Valle Serentina tertius amnis adest,
 Hic ubi Bolsanum spatiosa valle patescit,
 150 Et Tyrolis terram nec fugias calidam.
 Vel pete Tergestum, Goricum, Fora Iulia poscens,
 Qua patria est Bonomi praesulis alta tui.
 Vel tibi quod melius, Brixnam vel adito Tridentum,
 Musarum pater hic Maxmilianus agit,

- 155 Qui dudum Almanas concepit ferre sub oras
 Pegasides nymphas Pieridumque choros.
 Is tibi perpetuo donabit tempore census
 Et paupertatis non sinet esse metum
 Collegio sacras statuens donare Camenas
 160 Atque mathematicos iunget in aede duos,
 Hic ubi nunc tollit sua moenia clara Vienna
 Et Cetius Bacchi munera largus alit.
 Teque huic domui rectorem praeesse iubebit
 Caesareasque vices te gerere ipse iubet,
 165 Scilicet ut lauro poteris decorare poetas
 Et qui succedent post tua fata tibi."
 Sic fatus celeres ad sidera sustulit alas
 Et petit aetherios impiger ille polos.
 Interea nubes iam rarescebat et actis
 170 Tempestas coepit mitior esse salo.
 Ancora tum iacitur, sed non pervenit ad imum,
 Haerebat solida nec suus uncus humo.
 Tum subito iactu bolidem demittimus alto,
 Ut terram referat quaeque profunda forent.
 175 Est locus, Arctoo quo se Germania tractu
 Claudit et in rigidis Tyle ubi surgit aquis,
 Quam iuxta infames scopuli et petrosa vorago
 Asperat undisonis saxa pudenda vadis.
 Orcades hos memorant dictos a nomine Graeco
 180 Atque has periuris exilia esse deis,
 Accola mutato quos dicit nomine Drollus,
 Aere quod crasso corpora habere solent.
 Nec mihi vana fides; variis errare figuris
 Εἰδωλα ad hos scopulos vidimus horrissonos;
 185 Illa ministeriis hominum se iungere gaudent
 Officiisque suis tecta marina petunt;
 Sed postquam verbis factisve iniuria laesit,
 Aufugiunt, homini et saepe nocere solent:
 Nunc adimunt remos, mergunt nunc aequore naves,
 190 Ancora humi fixa est saepe soluta mari
 Tempestasque ferox his saepe atrociter orta est,
 Egit et in scopulos et fera saxa maris.
 Huc nos tempestas validus iactavit et Eurus
 Hosque inter scopulos nox brevis acta fuit.
 195 Nam tenuis nubes facta est et rarior aer,
 Coepit ventura et luce rubere polus
 Visaque iam claro longe et late omnia Phoebo,
 Non procul et nobis cognita Tyle fuit.
 Erigitur malus, tolluntur in alta ceruchi
 200 Tendunturque suo vela reducta sinu
 Ingredimurque salum laeti statione relictā
 Intrantes portum, Tyle petita, tuum.

- Et mox Neptuno persolvimus humida sacra
 Pocula per totum continuando diem.
 205 At postquam fessos laeti recreavimus artus
 Et lustrata mihi Tyle ubi tota fuit
 Cumque serenato luxissent sidera caelo
 Caurus et aequoreas dexter haberet aquas,
 Mox ego ab Oceano glaciali et ab aequore vectus
 210 Per iuga, per scopulos regna Athesina peto.
 Moxque mihi summi fuerat data copia regis
 Exponoque, meae quae sit origo viae.
 Subiunxit Caesar : „Facile est nutrire poetam.
 Si cupis, uxorem iam tibi, Celti, dabo.
 215 Vel si devota fieri vis mente sacerdos,
 Absentes nummos, si petis, ipse feres.“
 „Non ego, rex Latii princeps et gloria regni,
 Haec cupio vitae taedia magna meae.
 Sed cupio aeternum fieri per carmina regem,
 220 Eius et in cunctis gesta canenda plagis.
 Quod fieri ut possit, rex invictissime regum,
 Annua des certo cum lare dona mihi!“
 Annuat et propriis manibus signaverat omne,
 Quod petii, oblato et munere abire iubet.

15. *Ad iuventutem Germanicam.*
Concludit libros amorum.

- Quantus habet miseros labor et vaga cura colonos
 Et quantum miles castra secutus habet,
 Tantus Palladia labor est faciendus in arte,
 Ut tua sub caelo nomina clara volent.
 5 Illius effugias, iuvenis, consortia semper,
 Eius et in nullo tempore tecta petas,
 Cui placet in longam somnum deducere lucem
 Somnacesque oculos nox fugit alta suos,
 Qui furit et calidi bacchatur munere Bacchi
 10 Et Venere et talis tempora noctis agit.
 Qualiter in primis adulescens vixerit annis,
 Talem praebebit curva senecta patrem.
 Et sequitur natus vestigia saepe parentum
 Et praeceptorem cuncta iuventa refert.
 15 Utque vetus dictum est, cunctorum et volvitur ore :
 Natus adulterio semper adulter erit.
 Quisquis ab infami fuerit meretrice creatus,
 Scortator spurco corpore semper erit.
 Turpibus assuetus turpem feret ille senectam
 20 Nequitiamque suam sub sua busta trahet.
 Et flos arboreo veluti de stipite turgens
 Spondet ad autumnii tempora dona sui,

- Indolis egregiae iuvenis sic noscitur omnis
 Venturae vitae candida signa ferens.
- 25 Ergo agite, o iuvenes, moneo, mea tempora vitae
 Aspicite et studiis invigilate bonis!
 Ne vobis, veniat baculo dum nixa senectus,
 Inducat variis plurima damna modis.
- Ipse meam ante actam dum verso pectore vitam,
 30 Anxius invenio quam mea scripta nihil,
 Quae me iam vobis olim vixisse loquuntur
 Nec vitam ignava deseruisse rota.
 Cetera quicquid erant, tenuis modo cernitur umbra
 Et velut hesternus praeteriere dies :
- 35 Divitiae, luxus, dominatio, gloria, honores,
 Forma, genus, mores et gemebundus amor,
 Omnia terra suis sepelit conditque cavernis
 Et toto (certum est) constat in orbe nihil.
 Sola immortalis probitas virtusque sub orbe est
- 40 Et quae posteritas carmina docta probat.
 Exemplum vobis imitabile sumite, quaeso,
 Continuum vobis quo sit in orbe labor.
 Nil superest de me, quando omnia terra dehiscit,
 Quam quod nunc vobis mortuus ipse loquor :
- 45 Mortuus et vivus vates aeternus in orbe est
 Et qui virtutis stemmata clara colunt.
 Prima aetas puero fuerat mihi phlegmate plena,
 Sanguineo subiit mox iuvenilis honos,
 Tertia deinde virum fecit prudentibus annis,
- 50 Quarta melancholico iam mihi vita venit ;
 Prima datur Lunae, Veneris tenet altera ludos,
 Tertia sed Phoebos, quarta relicta seni.
 Quattuor in nostris mihi decantata libellis
 Lascive interdum carmina forte sonant ;
- 55 Hos non spurcus amor iussit me scribere versus :
 Affectum et mores philosophia notat ;
 Docta poetarum describunt carmina mores,
 Quique hominum affectus, quid rationis opus.
 Sed nunc emeritae permensus tempora vitae
- 60 Orbe ego nunc alio tempora Celtis ago,
 Quo loca amoena colunt Flaccus, Naso atque Tibullus,
 Sappho, Propertius et Lesbia vatis amor.
 Interea, iuvenes et Barbara cara, valete,
 Ad nos dum cunctos urna suprema vocat.

CONRADUS CELTIS PROTUCIUS

GERMANIA GENERALIS.

Praefatio ad Maximilianum regem.

Rex, cui sceptrum dedit Latialia conditor orbis
Imperiumque tuo subdidit arbitrio,
Accipe Germanam pingentia carmina terram
In genere et totam cerne superficiem
5 Aequora cum silvis, populos, montes, iuga, gentes
Et quantum silva extenditur Hercynia.
Haec, rogo, pauca legas, donec Germania tota
Illustrata tibi, Maxmiliane, detur.

1. Origo mundi ex ventre Demogorgonis.

Per Demogorgoneum memorantur cuncta tumultum
Ex veteri prodisse chaos, dum ventre tumeret
Forte senex totumque ferens in corpore mundum
Distendit gravidam maturi ponderis alvum,
5 Quod fuit aeterni conceptum ab origine mundi;
Impatiensque oneris cupidusque reponere tandem
Pondus iners molemque rudem se ventre prementem
Indignatus ait: „Vacuas te profer in auras,
O mundi deforme chaos superisque pudendum
10 Et vos cunctarum discordia semina rerum,
Ignava in nostris quae tanto tempore membris
Delituistis acres facientia saepe dolores
Visceribus tumulata meis, dum bella movetis.
Ite, ite actutum, iubeo, pulchroque decore
15 Condite luciflui rutilantia sidera caeli
Et me iam vestro vacuum praestate tumultu,
Dum mundi fabricetis opus, quod pace perenni
Alliget aeternus concordi foedere mundus!“ —
Dixit et excutiens uterum mox terra polusque
20 Et mare fluctivomum liquidusque et turbidus aer
Quique subest gelidae lunae nunc proximus ignis
Exierant propriis spatio et disiuncta figuris
Atque lacunosas ventris liquere cavernas.
Moxque per octavam simulacra micantia sphaeram
25 Ignifluis radiata comis per quinque patentes
Zonas se totum subito explicuere per orbem.

- Hinc Vervex et Libra pares facientia noctes
 Et Caper et Cancer, quae maxima tempora luci
 Et tenebris referunt et quae prolata sub axes
 30 Signa micant, cursum peragunt mox fixa diurnum
 Bisque duodenas redeunt revoluta per horas
 Donaque per teneras coeperunt fundere terras
 Et variis radiis lucere per aera deorsum
 Infusa virtute nova, quae semina rerum
 35 In terrae tumultu sinu caecoque in acervo
 Digessit iussitque suis distare figuris.
 Hinc tellus variis florum redimita coronis
 Arboribusque suis fructus frugesque creavit
 Atque homines pecudesque simul produxit in arvis.
 40 Hinc volucres aer piscesque receperat aequor
 Per mare squamigeris ducentes corpora pinnis.
 Hinc etiam, octavo quae sunt contraria mundo,
 Astra suis variis coeperunt currere cyclis:
 Saturnus totumque regens qui Iuppiter orbem
 45 Et Mars, qui miseras immittit sidere clades,
 Et Phoebus Veneri socius citharaeque repertor
 Mercurius, gelidae Lunaeque novissimus orbis,
 Quae nunc retrogrado properantia tempora motu
 Impediunt tardantque vagas procedere causas
 50 Et rursus statione sua fluitura morantur,
 Ut stabili fixoque meent sua fata tenore,
 Dum miscent refluo volitantia semina motu
 Per varias reditura vices, ut longa per aevum
 Compleat aeterno mundus sua saecula cursu
 55 Illa iubente deo, rapidis qui praesidet astris.

2. De situ Germaniae et moribus in generali.

- Gens invicta manet toto notissima mundo,
 Terra ubi se devexa globo demittit in Arcton,
 Solis et algoris patiens durique laboris,
 Ingrata ignavam vitae tolerare quietem,
 5 Indigena, haud alia ducens primordia gente,
 Sed caelo producta suo, Demogorgonis alvus
 Protulerat patulas ubi cuncta creata sub auras.
 Germanos vocitant Latii, Graii sed adelphos,
 Quod fratrum soleant inter se vivere more,
 10 Nomen nobilibus quod adhuc venerabile nostris.
 Pectoribus similes ingentes corporis artus,
 Prodiga cui natura dedit per lactea colla
 Candida proceris tollentes corpora membris.
 Flava coma est, flavent oculi flavoque colore
 15 Temperie iustam retinent sua membra staturam;
 Voxque habitum mentis cum gestu et pectora prodit,

- Vox quae nil muliebre sonat, sed tota virilis
 Martia crassiloquo testatur corda palato.
 Commune his studium venari, equitare, vagari
 20 Atque suum varias victum quaesisse per artes,
 Vel Bacchum viduis crescentem iungere palis
 Arvaque quadriiugo proscindere pinguia aratro,
 Nec patrio tepuisse solo iuvenilibus annis,
 Sed mox doctiloquae praecepta adiisse Minervae,
 25 Vel vaga veliferas duxisse per aequora naves
 Atque suis terris varias adducere merces,
 Nec censere nefas animum intendisse rapinis,
 Dum fera belligeri meditantur proelia Martis,
 Atque illum regum celsas quaesisse per aulas
 30 Quattuor ad fines, quas Teutonis ora coerces,
 Sive per Hercyniae nemorosa cacumina silvae
 Dentatos prosternere apros silvisque vagantes
 Aeripedes cervos ursosque agitare feroces,
 Unguibus accipitres trucibusque iubere rapinas,
 35 Tollere et evulsas dispergere in aethera plumas.
 Hinc animus dubiis audens se credere rebus,
 Nec segnis timidusque mori roseumque cruorem
 Pro patria et caris certans effundere amicis
 Atque avidus caedis, si qua ulla iniuria laesit,
 40 Quique fidem sancto et constanti pectore servat,
 Religionis amans superumque et cultor honesti
 Et veri iustique tenax, mens consona labris,
 Ficta coloratae fugiens mendacia linguae.

3. De sideribus verticalibus Germaniae.

- Qualia ab Herculeis memorantur pectora stellis,
 Perseo Andromedeque vago descendere Olympo,
 Fortia robustis animare et corpora nervis,
 Quique sub extremo monstratur cardine Cepheus,
 5 Ultimus argenti quem torquet circulus orbe
 Nocte carens, calidi dum Sol stat sidere Cancri,
 Et Bacchi Phoebique decus rigidusque Bootes
 Heniochusque suo volitans per sidera curru,
 Ursa minor maiorque trucem complexa Draconem,
 10 Numquam caeruleas subeunt quae Tethyos undas
 Sidera : Germanas radios iaculantur in oras,

4. De quattuor lateribus Germaniae, fluminibus, maribus et insulis.

Pulcher ab occiduo quas claudit limite Rhenus,
 Alveus et rapidus pulchras allabitur urbes
 Et tandem externum triplici cadit ore sub aequor

- Nosque a Sequanicis disiungit flumine Gallis.
5 Vistula purpureo sed terminus extat ab ortu,
Vistula Sarmaticis qui famosissimus oris
In Codanum trifidis effundens faucibus ora,
Hic ubi Bruteno clara est Germania portu
Et capit innumeras Codonea per aequora naves,
10 Quae glaesum eiciunt, quod succinus ore Latino
Dicitur et nostris tantum reperitur in oris.
Danubiusque rapax et amictae nubibus Alpes
Austrinos faciunt fines metamque resignant
Italicae, Illyricae, Scythicae et contermina genti.
15 Solus Germanas Hister sed deserit oras
Lata peregrinis inducens flumina terris
Germano concepta solo, quaeque Ungarus acri
Barbarus ore bibit Metanastae Teutonum haurit,
Hic ubi nunc pulchro claret Moldavia tractu,
20 Septenis tandem qua faucibus exit in aequor
Non Nilo nec Gange minor, qui maxima toto
Orbibus ex aliis memorantur flumina mundo,
Impellit salsos diffuso gurgite fluctus.
Sed mare Codoneum (Germano et nomine dictus
25 Oceanus) fines posuit natura sub Arcton,
Quos ultra tria regna manent gelidusque Britannus,
Orcadibus qua cincta suis Tyle et glacialis
Nuper Hyperboreo quae inventa est insula regi,
Norvegos Dacosque regens Suedosque bibaces,
30 Ultima concreti qui cernunt sidera caeli
Aestatis verisque inopes hiememque perennem
Perpetuasque nives caelo patiuntur inertis,
Quicumque egelido terram coluere sub axe ;
Inter quos memorant Lappones nomine dictos,
35 Qui vitam specubus ducunt silvisque nivosis
Venantes madros et molles pelle sabellos
Et nostri fugiunt rigidi commercia mundi
Congressusque hominum nec habentes ore loquelas,
Horrida barbaries rigido damnata sub axe
40 Atque feris similes ; quorum cognoscere mores
Et ritus quis forte velit, petat ille libellos,
Quos de Germanis nuper conscripsimus oris.
Talis ad Arctoum nostra est Germania tractum
Sauromatis vicina feris Asiaeque potenti,
45 Hic ubi se Tanais sinuoso litore volvit
Impetuosus aquis rigidis vastamque paludem
Et matrem marium ditat glacialibus undis.
Interiora rigat terrae sed maximus Albis,
Qui rapidus mediam fluvius perlabitur oram,
50 Et quantum Rhenus, sic Vistula distat ad ortus,
Tandem et Cimbricum vagus exoneratur in aequor,

A Cimbris quod nomen habet, quos proxima Dacis
 Chersonesus habet rigidum porrecta sub axem,
 Isthmos ubi geminum sua litora pandit in aequor
 55 Oceanum Codanumque videns, ubi Scandia dives
 Alleces totum mittit piscosa per orbem
 Et strumulos, sicco quos mittit corpore Suedus,
 A struma qui nomen habent gluvieque patente.

5. *De tribus iugis et montibus Germaniae.*

Sed nemus Hercynium, montes et ab Alpibus orti
 Cum ramis totam se diffudere per oram
 Iamque sub occiduum tendentes brachia solem.
 Hinc austrum boreamque petunt eurumque sonorum,
 5 Donec in Euxinum procumbant vertice Pontum
 Quaque Byzantinas angustat Bosphorus undas.
 Sed tria Germanae tollunt iuga maxima terrae
 Verticibusque suis feriunt vaga sidera caeli
 Impositasque ferunt nebulosis montibus arces
 10 Et scabris latebris spumantia flumina fundunt
 Primum est, immani dorso quod spectat in Arcton
 Germanos Gallosque videns Italosque potentes,
 Quod Rheni Rhodanique parens Oenique sonantis,
 Quod veteres prisco dixerunt nomine Adulam,
 15 Atque suis longis ramis nunc procreat Alpes,
 Hic ubi cum rapidis Athesis se concitat undis
 Adriaco miscere salo Venetisque superbis
 Dicere, Germano quod dedant colla tyranno.
 Ast aliud Carpathus habet, qui spectat in eurum,
 20 Auspicium nostris niveo dans vertice terris,
 Quem Suevum in priscis memini dictum esse libellis,
 Qui cuproque auroque scatens variisque metallis
 Pannoniam largo locupletat munere gentem.
 Hercyniumque iugum medio Germania tractu
 25 Erigit et multis dispergit cornua terris,
 Ex quibus ingenti dorso stans Pinifer atrum
 Tollit in astra caput liquidoque a vertice quattuor
 Quattuor ad mundi fundit vaga flumina partes:
 Moenus in occiduum festinat currere Rhenum
 30 Et Sala, qui Drusi gestat praeclara tropaea,
 Argentes petit Albis aquas, Nabus exit in austrum,
 Egra sed Eoos flectit sua cornua in ortus
 Et secum Hercyniam trahit alto vertice silvam,

6. *De tractu Hercyniae silvae per Germaniam.*

Quae variis porrecta plagis nunc vasta sub Arcton
 Inque eurum zephyrumque suis cum saltibus errans
 Explicat immensos annoso robore lucos

- Religione sacros, veteri quoque amore verendos,
 5 Qui druidum densae per opaca silentia silvae
 Plurima magnificis servant coenobia tectis,
 Quae Diti nigris operantur sacra cucullis
 Vallibus irriguis constructa, ubi murmure blando
 Unda sonans placidos inducit corpore somnos.
 10 Sed Transrhenanas ubi silva reliquerit oras,
 Tendit ad innumeras Germano sanguine gentes :
 Per Suevos Chaucosque feros madidosque Sugambros
 Algionesque truces Rhenique ad fluminis ortum
 Perque lacus geminos candentes praeterit Alpes
 15 Helvetiis porrecta iugis durisque Cheruscis,
 Vindelicos Rhaetosque petens et Norica rura
 Perque lacus plures capientium ab Alpibus undas
 Boiorum deserta petit rursusque sub Arcton
 Brachia longa iacit, Suevos Francosque, Turogos
 20 Circuit, Abnobios montes, qui particula Alpium, et,
 Saxonicisque reducta plagis Phrisiisque bubulcis,
 Visigothis Ostroque Gothis Cimbrisque vetustis,
 Donec Germanum prope tangat saltibus aequor.
 Ast ubi spumiferi fontes contexerit Histri,
 25 Purpureum vertit silvas scopulosque sub ortum
 Austriacas aditura plagas Cetiumque comantem,
 Qui dum nubigeras radicem accepit ad Alpes,
 Quas Carnus Styriusque tenet Slavusque bilinguis,
 Hic ubi Danubius positurus nomina Ponto
 30 Proxima Dalmaticae radit confinia terrae,
 Qua Dravus Savusque vagum exonerantur in Histrum ;
 Sed longum Austriacas dorsum protendit in oras,
 Quod tandem rapido calva fronte imminet Histro,
 Unde sibi totum sunt nomina nota per orbem ;
 35 Hunc silva obliquis ramis et collibus atris
 Integit atque feris foliosa cubilia sternit
 Silviferumque caput nemoroso vertice vestit.
 Silva prius late Bavaras sed sparsa per oras,
 Ante sub Austriacas quam tendat brachia terras,
 40 Obliqua ad Vilsì protendens cornua ripas,
 Vilsus in Histrinis qui tandem perditur undis.
 Ast ubi per Bavaros ingentia cornua flexit,
 Mox Francos Turogosque petit Boemosque feroces,
 Tanquam nativo claudit quos undique muro,
 45 Quos medio nutrit bellax Germania tractu ;
 Pingue solum frugumque ferax silvaeque perennis,
 Plurima Germanis quae emittit flumina terris
 Albim, Oderam, qui Nigra fuit memorata vetustis.
 Quos ubi deseruit Carpathi culmina spectans,
 50 Marcomanes Gepidasque petit lazygesque potentes,
 Hic ubi nunc cultis est Transilvania terris,

- Moribus Almanis gentem linguaque creavit.
 Inde iterum vasto diffundit cornua flexu
 Visburgos Sabocosque petens durosque Gelonos
 85 Quaque manet pulchro dives iam Prussia portu
 Sarmaticis obducta plagis quosque ultimus orbis
 Angulus abscondit, Agathyrsos limite claudit.
 Ad Tanais fontes Riphaeoque in vertice late
 Diffusa et fines Europae vasta pererrans
 90 Diversasque feras volucresque in saltibus abdens,
 Per Masovina truces abscondens rura visontes,
 Proinde metalliferos extollens undique montes
 Argentique auriue ferax variisque metallis
 Plurima perpetuis effundit munera venis
 95 Fornacesque cavas, rapidus quibus aestuat ignis,
 Quem foveat excussis ventosis foliis aura,
 Quas circum valido se tollit malleus ictu,
 Quem rapidis levat unda rotis et machina molis
 Ingenti sonitu ferit astra volantia caeli
 70 Brontis opus Steropisque gerens, liquefacta metalla
 Extendit varias ubi ferri lamina formas.

7. De qualitate telluris per Germaniam.

- Terra hominum pecudumque ferax quaeque ubere gleba
 Spiciferam Cererem multo cum fenore reddit
 Pascua florigeris extendens pingua pratis
 Ingentesque lacus, varias vastasque paludes
 5 Et fluvios varios, sapido qui pisce redundant,
 Collibus apricis agrisque et montibus altis,
 Plurima vitiferi qui fundunt munera Bacchi,
 Vicino iam sole novo, qui sidere laeto
 Proximior nostris infundit lumina terris.
 10 Hinc varii cultus et cultis moenibus urbes,
 Mitior et populus Germano nascitur orbe
 Explosa ruditae fera, quam barbarus olim
 Silvicola in riguis servabat saltibus ortus.
 Illa superficies Germanis traditur oris,
 15 Quae mihi bis quinos fuerat lustrata per annos,
 Quam silvis fluviisque suis et montibus altis
 Et variis populis vario et discrimine linguae
 Sideribusque suis deus et natura creavit.

APPENDIX I.

VINCENTIUS LONGINUS ELEUTHERIUS

In Conradi Celtis novenarium.

1. In quattuor aelates.

*Pubertas vireat sic moribus instituta sanctis,
Adulta ut aetas litteris coruscet;
Floreat hinc claris virtutibus aucta sic iuventa,
Sit ut quieta a manibus senecta.*

2. In quattuor anni tempora.

*Ver aperit terram Zephyrisque inspirat amorem,
Spiciferam Cererem metit Aestas.
Uvifer Autumnus turgentes exprimit uvas,
Claudit Hiems pia viscera terrae.*

3 In quattuor mundi plagas et quattuor urbes Germaniae tetragonales.

*Potens Eoas Croca regit plagas,
Finem occidentis clara Moguntia,
Afro imperat vetus Ratispona
Et Codono rigido Lubecum.*

4. In quattuor ventos.

*Sic Eurus volet obuius
Florenti Zephyro, ne noceat satis:
Sic spiret Boreas rapax,
Auster ne feriat grandine vineas.*

5. In quattuor humores et complexiones.

*Sanguinis est habenda
Cura, ne atra bile caput fumigerum laboret
Neve calore adusto
Humor incensus teneram diffugiat medullam.*

6. In quattuor caeli signa.

*Hellespontiacum tuta. Aries, mare,
Germanis faveas. Libra, potentibus,
Cancer, sidus amicum,
Da blandasque hiemes, Caper!*

7. In quattuor qualitates.

*Fervor potens Germanicos trahat duces
Calorque gloria tenax;
Tepore delicato abacto poscimus,
Torpor gravet ne Teutonos.*

8. In quattuor elementa.

*Ignis diluvium dum prohibent aquae,
Fontes dum cohibet flamma residere,
Dum nec terra ruit concila flatibus,
Surgit gloria Teutonum.*

9. In quattuor colores.

*Cum nos parturiat Luna colore in violaceo,
Hinc ad verba loquax purpureo Mercurius ferat
Et nos puniceo commaculet deliciis Venus,
Haec in lividiore esse colore omnia desinunt.*

APPENDIX II.

1. FRIDIANUS PIGNUCIUS LUCENSIS

Ad Conradum Celtén.

- Nate sub plaustro glacialis Ursae,
Celtis, et terra nivibus rigente,
Quod tibi sidus micuit sub ortu,
Carmine pande!*
- 5 *Quicquid Atlantes speculantur alti
Et rapit campis tepidis Hiberus,
Quicquid et Rhenus Rhodanusque
Carmine scribis. [volvit,*
- Hinc per externos raperis Britannos*
- 10 *Quique sunt canis Scythiae pruinis
Et bibunt altum Tanaim perenni
Fonte ruentem.*
- Patrias gentes, populos et urbes,
Aequora et montes fluviosque, silvas*
- 15 *Noscis et toto rutilantia Olympo
Sidera calles.*
- Es potens cunctos celebres poetas,
Quos tulit tellus rigido sub axe
Quosque fert doctum Latium, canendo*
- 20 *Vincere plectro.*
- Aut tibi Maiæ fidibus lyraeque
Filius natalicia sub hora*
- Fulsit et nervis docuit canoris
Pollicis ictum,*
- 25 *Virgo vel pectus tribuens honestum
Finxerat claros oculos in altum
Ortus es cura superum benigna,
Celtis, in orbe!*
- Carmina Orpheum memorant sub
[Orcum*
- 30 *Spiritum carae comitis secutum
Barbitò diram potuisse regis
Flectere mentem.*
- Est tibi tantum decus ore, Celtis,
Ut queas tigres rapidas morari,*
- 35 *Et maris murmur sileat furentis,
Dum canis herbis.*
- Igneus sistit medio orbe Titan
Et tenet currus nimio rubentes,
Cum tuum sentit resonare carmen*
- 40 *Aera raucum.*
- Ergo, quæ felix. resera, piarum
Stella te primum genuit sub axe,
Quod tibi sidus Iovis et Minervæ
Splenduit ortu.*

2. ADAM VENERUS GERMANUS

Ad Conradum Celtén.

- Ore par divis, Hasilina, salve,
Virgines cunctas superans Diana
Naiadas quantum, nisi fama Celtis
Carmine fallat.*
- 5 *Dura, te digni miseras amanti
Cur negas fusas toliens querelas?
Tunc fastidis viridi recinctum
Tempora lauro?*
- Quem Iovis magni suboles Camena*
- 10 *Ardet, hæc demens nimum superba
Despicis? Numquam. mihi crede,
Crimen abibit. [inultum*
- Tempus invisæ veniet senectæ,
Quo tuum rugis macies urabit*
- 15 *Corpus effetum viduoque lecto
Sola iacebis.*

*Tum color, qui iam nitido refulget
Ore, vanescet; iuvenes protervos
Impetes frustra patiens repulsam,*
20 *Eyblis ut olim.*

*Tunc gravi Celtis tuus ultione
Laetus exultent et Adam, fideles
Cuius irrides monitus cacinno
Concutienter.*

3. IACOBUS LOCHERIUS GERMANUS

Ad Conradum Celten.

*Qui diu multis peregrinus oris
Ductus herois fidibus fulsti,
Siste iam duras penetrare terras,
Optime Celtis!*
5 *En ubi densos nebulosus imbres
Auster immittit properatque flavus
Hister et iunctos vetat esse pontes,
Sacra piasti.*
*Ausus Arctoas Geticasque gentes,
10 Sarmatas crudos procul a paternis
Sedibus tutus Boreaeque scabros
Visere montes.*
*Cur tot emensus pelagi labores
Barbaras funem religas sub oras?*
15 *Inde Germanis memoranda duris
Carmina pandis.*
*Iam precor, sistas celerem carinam,
Mobiles remos nemorisque sacri
Tibia dulces repara Camenas,*
20 *Candide Celtis!*

*Nempe vocali genitus Camena es,
Cuius ad cordas modulante plectro
Constitit Phoebus, silet et Minerva
Carminis capta.*
25 *Ad chelyn totum Codanum vocasti,
Vistulam et Rhenum trahis et per
[agros
Alveum latum fluvialis Histri,
Blandior Orpheo.*
*Ipse cum princeps lyricae cohortis,
Da novi paulum mihi tui plectri,
30 Ut tuas blando resonare possum
Carminis laudes;*
*Torpor est nostris sine te Camenis,
Ut queam dulci celebrare plectro
35 Elsulam, quae tot tibi blanda ludit
Carmina plectro.*
*Tecum in aeternum memoranda vivet,
Omne qui mundi latus eruisti,
Siderum cursus et amoena clari
40 Lumina Phoebi.*

4. IOANNES CAPNION ET GRACCUS PIERIUS

Ad Conradum Cellen.

*Non tibi talem satis invidemus
Praestitam sortem, quod aprica
[montis
Ambulans lustras Heliconis arva,
Inclite Celtis,*
5 *Seu magis nostram miseremur usque
Aulicam sic, sic tolerare vitam,
Quae vetat doclas penetrare Musas
Atque poetas.*
*Unde maiores cithara furentes
10 Daemonis pulsu melioris acti
Candidi semper petiere quondam
Longius antra.*

*Laeta sic Minos celebravit antra
Et senex vates Heliconis hortos
15 Liquit et sese volitans Aristaeus
Liber iturus.*
*Ne pares ergo pedicas, et artas
Compedis ambo pariter movemus,
Sed mane, divi satiate Musis,
20 Carmina pangens,*
*Quae vagas laudes memorant puellae
Urbe, quam Rhenus rapidus pererrat,
Caelica cuius Latialis arte
Littera pressa est.*

SCRIPTURA.

Permultas variantes lectiones ad scripturam attinentes separatim collegimus; in parenthesisibus () inscripsimus, quae lectiones raro vel semper in manuscripto et in prima editione librorum Amorum inveniuntur; asteriscum (*) posuimus, ubi ex eadem radice derivata oriuntur (exempli gratia: -caelum, caelestis).

Vocales: *a* (o): Abnoba* (Obnoba) — *ae* (e): aedes*, aeger, Aegoceros, Aemilius, aenulus, Aeolus*, aequus*, aes*, aestas*, aelsius*, aetas, aeternus*, aether*, aevum, caecus, caedere*, caelebs*, caelum*, Caesar*, Chimae-rifer, Daedaleus, glaesum, Graecus*, haec, Haedi, Haemonius, haerere*, laedere*, leaena, laetus*, laevus, Maenalis, maestus, Megaera, paene, Palaestinus, palaestra, prae-, praeda, praeter-, Praetoria, quae, quaerere*, Rhaeti*, saeculum (saeculum), saepe, saepire*, saetiger, saevus*, sphaera, taeda, laedum*, taeter; (ali)ae; (Cret)aeus — *ae* (oe): caecus, caelum*, Haedi, maestus* — *e* (ae): ebrius, egestas (aeg-), egit, precari, premere (prae-), prendere (prae-), pretium, suprema — *e* (i): Daedaleus (-ius), ibex, Sicelis — *e* (o) vertex (vortex) — *e* (oe): cepisse* (ex: capere), felix*, femina*, fenus, fetus*, supremus — *i* (e): (aer)ius, coriarius (corearius) — *i* (ii): di, his, -iungere, -icere, -isse — *i* (y): Aemilius (Emy-), asilus, Cimber*, Circaeus, cithara, dialectica (dya-), Diana, Dione, heliotropia (ely-), hiatus, hibernus, Hiberus, hiems*, hilaris (hy-), Hispania (Hy-), historia (hy-), idola, inclitus (-clytus), lacrima, Libycus (Lybicus), nimbosus, Pierides (Py-), Pleias, Riphæus, Sículus, sidus*, strix, tiara, Tiberis (Ty-), tigres, Titan — *oe* (ae): proelia — *oe* (e): amoenus, coenobium, coepi, comoedia, foedus*, moechus, moenia, Moenus, Oenus, Phoe-bus*, poena, proelia — *u* (i): monumenta — *u* (o): adulescens*, suboles — *y* (i): Aegyptiacus, Arctophylax, Byblis, Charybdis, chelys, corylus, crys-tallus, Cynthius, Elysium, Hercynia*, Illyricus, Libycus (Libicus, Lybicus), lymphare, Nyctimene, Olympias, Olympus, oryx, Phrygius, Pygmaeus, Pyla-des, pyxis, Styrius, Styx*, Syrtis, Tyrius.

Consonantes: *Reliquimus b*: afui — *c* (ch): ancora, arcanus, carus*, coruscare (cho-), lacrima, sepulcrum — *c* (k) Calendae — *c* (qu): seculus — *c* (t): Dacia, salacius — *cch* (ch): Bacchus* — *ch* (c): ceruchus, Cha-rybdis, Chattus, Chauci, chorda, chorea, proseucha, pulcher — *ct* (t): auclor* — *Reliquimus c*: artus (arctus), nequiquam (-quic-) — *f* (ff): Africa*, aufero — *f* (ph): nefas — *gg* (dg): aggerere — *h* (—): Hadrianus, hebdomas, He-liades, hebetare, heliotropia, Helvetius, Hister*, hortus, schola — *Reliquimus h*: arena (ha-), Eridanus (Heri-), Orestes (Ho-), ostium (ho-), pro (proh), umectare (hu-) — *k* (c): Karolus — *l* (ll): palatia, religio, reliquiae, tolerare — *ll* (dl): allabi — *ll* (nl): collapsus, colloquium, -ludere, -lustrare, illecebra, -lepidus — *m* (n): circumdo, septemtrio*, umquam* — *mm* (nm): commu-licare, -masculare, -memorare, -mugere, -mune, -mulare, immemor, -mensus,

-mittere — *mp (np)*: complexio, impatientia, -pellere, -perium -pletum, -plicare, -plumis, -potentia — *n (nn)*: Rhenanus (-nnus) — *nn (dn)*: annuere — *nn (mn)*: decennalis — *p (ph)*: Symplegas — *p (pp)*: Apollo, repetere — *ph (f)*: Phlegethonteus, phlegma — *pp (p)*: Agrippina, Iuppiter, oppida — *r (rh)*: Roma* — *rh (r)*: Rhadamanthus, Rhenanus, Rhodanus — *rr (br)*: surripere — *rr (dr)*: arridere — *rr (nr)*: corivalis, irrequietus, -reire, -ruere — *s (—)*: exsinuare, exspirare — *Reliquimus s*: exuperare (exs-), exurgere (exs-), obtrudere (obs-) — *t (c)*: (amici)tia, etiam, (Mogun)tiacus, (to)tiens, (cani)ties, (ambitio), (di)tior, (nequi)tiosus, (collimi)tium, (Ce)tius, gestio, mentior, peliere, potior, satio, sentio — *t (ct)*: nuntius* — *t (th)*: Atlantes (Ath-), Ballicus, Calo, etesius, Taurus — *tt (t)*: litus* — *th (t)*: cantharus, Carpathus, cithara, Lethaeus, Phlegethonteus, Pythagoras*, Scythicus, thalamus, Thaumantias, Thessalus* — *tt (t)*: Hymellius, quattuor.

ANNOTATIONES CRITICAE.**

C.: Celtis — *corr.*: correxit s. correctum *Err.*: Errata (in fine editionis e) — *n. m.* nota marginalis — *om.*: omittit — *scr.*: scripsit.

Tit. Conradus—Germaniae] *Conradi Celtis Protucii* primi inter Germanos imperatoris manibus poetae laureati quatuor libri amorum secundum quatuor latera Germaniae feliciter incipiunt e, *om.* N

Praefatio. — e — *Tit. Praefatio*—Amorum] Ad divum Maxmylianum invictissimum et serenissimum Rhomanorum regem et Caesarem Augustum *Conradi Celtis* in libros amorum suorum praefatio et Panegyrici prima pars 5. Maximyleiden — 7. Dorio — 10. Sycambrium — 30. οὔκον — 33. connixiones — 37. אֶרֶץ פִּנְיָ — היִרְיָ — Hester — 39. ἱερωνῦμω — schiraschirim — 41. ἀφραδής] οσφραδής — 47. λογάτος — 49. Maxmyliene — 51. memorabili — mathematicorum — 53. liniamenta — post 56. in fine τέλδς

Liber I. — eN — *Tit. Liber*—inscribitur] *Conradi Celtis Protucii Germani* poetae laureati liber primus amorum, qui Hasilina vel pubertas vel Vistula et latus Germaniae orientale (et—orientale *n. m.* C. N) inscribitur (inscribitur, incipit N) eN — Impressi sunt libri illi amorum *n. m.* C. N

1. — eN — 2. Pignuti eN — 4. magne N — ad 9. astro h (*legi nequit*) *n. m.* C. N — 33—34. *om.* N — 50. Plumbea cum celeri conculiendo fuga N — 51. Inde] Unde N — 55. Rhenanis] Rhomanis e — 56. Barbara. nota] *corr.* ex nota puella C. N

2. — eN — 6. traher eN — 25. nocuas] *corr.* ex vacuas N — 32. hydropicas e, ydropicas N

3. — eN — *Tit. Gracoviam* e — 1. in] ab N — 7. pareat N — 21. achimeniis eN — 22. chaurus N — 35. excutitusque N — 42. Codari eN — 45. Illo] *corr.* ex Hec C. N — 46. stigas e — 99. ἔρωνοςος e, ἐρωνοσος N

4. — eN — 22. segnis] *corr.* ex senis N — 27. in carmine] ex ordine N — 30. illa] ipsa N — 37. curet e

5. — eN — 20. ferum] suum N

** Menda typographi et librarii indubitata relicta sunt. — In editione e littera initialis primi hexametri paene uniuscuiusque elegiae deest.

6. — eN — 53. laudas N

7. — eN — 15—18. om. N — 27. nostro N — 33. mox] iam N — 54. Lucida e — 57. Amazonis e, amaçonis N — 64. Udaque] Undaque (Udaque Err.) e — 73—82. om. N

8. — eN — 9. splendent N — 19—22. om. N — 28. Sarmatum N — 60. districto eN

9. — eN — Tit. religatam N — 1. meae eN — 10. quae—fuit] corr. ex nesseo tincta cruore fero C. N — 25. Nam] Cum N — delectant] delectent (delectant Err.) eN — 27. olim] corr. ex vero C. N — 36. docta suos] saepe suos (docta suos Err.) e, saepe rudis N — 46. Et—Iovis] corr. ex Atque comes summi gaudet adesse Iovis C. N — 47. ethera N — 54. inire] corr. ex adire C. N — 65. pallades N

10. — eN — 11. spectabilis heros] spectabile monstrum N — 31. te] sed N — 34. syphorium eN

11. — eN — 26. movet e — 28. maesta facit] corr. ex tristis habet C. N — 37. Quas ex cognatis capiuntque fugacibus astris N — 39. adamas] magnes N — 40. Molle olide capre lac tamen ille fugit N — 41. teneram] corr. ex teneam N — 44. membra—regit] corda—movet N — 47. Romanos—Catonis] corr. ex Sic frons Catonis Romanos terruit omnes C. N — 50. dum] corr. ex cum N — 51. Precipuo eN — contine] temperat N — 62. meos eN

12. — eN — 2. gemitam N — 10. Vicanus N — 20. Ingenii N — 25. αμυλλος e, emilius N — 34. herebi N — 35. petiissent] corr. ex tenuissent N — 37. Hercynios] corr. ex hercinii N — 39. lilaren] corr. ex cederent de N — 45. gradus] corr. ex fores C. N — 52. Ellinica N — 54. Hic] corr. ex Huc N — 61. interrumpit e — 65. sobulemque N — 70. me, fugibunda] seva puella N — 84. siste] sistat (sistet Err.) e

13. — eN — 16. Rasmus—illecebras] corr. ex Delicias nostras vir ubi rasmus habet C. N

14. — eN — 4. aetheras eN — 5. et] et nostras N — 14. quarum] corr. ex quorum N — 32. Tesiphonem eN — megram N — 45. Versa et] corr. ex Versaque N — 54. leumures N — 55. Taetra] Terra (Taetra Err.) e — 65. Hic potuit] corr. ex ille potens N — 68. improelia N — 74. stigias N — 76. laxabant N — 94. Thelios eN — 115. caho eN — 133. labare] labore (labare Err.) e — 135. volucres] corr. ex volucresque N — 155. inferias corr. ex inferia N — 162. miscens] iungens N

15. — eN — Tit. vesonlibus eN — 3—4. n. m. C. N — 3. chremnos N — 5. crocavinam N — 9. visontis e — 12. nigrum—corpus] niger—villus N — 13—14. om. N — 15. occursat in] sublevat N — 18. vibrat] vibras (vibrat Err.) e, quassat N — 22. laesis] corr. ex tentis N — 34. Teutonicae—habens] Teutonicas vasta aditura plagas N — 49—50. n. m. C. N. — 51—54. om. N — 57. accepit] cepit N — post 58. in fine CxPLICIT (sic) liber primus incipit (sic) secundus e, Finis libri primi, qui habet elegias quidecim (sic) N

Liber II. — eN — Tit. Liber—inscritbitur] Conradi Celtis Protucii liber amorum secundus (secundus om. e), qui Danubius seu adolescentia vel El-sula Norica et latius Germaniae meridionale (et—meridionale n. m. C. N) inscribitur, incipit eN

1. — eN — 9. Perfida N — 11. iactabis N — 20. tuus eN — 34. ore] corr. ex et N — 53. mihi abesse] liquisse N

2. — eN — 1. remassem N — 9. ethereas N — 13. in] ad N — 15—16. om. N — 17. cahos eN — 25. egloceros N — 28. Prolendant e — 29—32. om. N — 52. Bavari—soli] corr. ex bachi qui iuga pulchra colunt N — 60. loeleis e, — ad 61. n. m. legi nequit N

3. — eN — 14. quos N — 15. phoenum e, phenum N — 21—28. om. N

4. — eN — Tit. Odiporicon eN — boemas N — 3. per] sub N — 11—12. om. N — 22. absumbsit N — 39—40. om. N — 43. bossonium e — 45. tumidus N — llsus] issus eN — 47. Regus] regiis N

5. — eN — ad 2—3. n. m. C. Cancer . (legi nequit) N — 6. gravans N — 16. Icario] super estivo scr. Icario C. N — 53. poterint eN

6. — eN — 5. districto eN — 17. Visne] Vis me e — ad 21. n. m. CC N — 37—44. om. N — 41. tetro nigroque e — 44. phegetonteis e — 52. locutu (sic) corr. ex fuisse C. N — 57. sacrarum e — 68. spurca] corr. ex sacra N — 79. magno es e — 82. nobilis] supra nobilis scriptum legi nequit N — 88. rasis] sacris N — 108. Saxa—triugis] Saxeia quadriugis N — 109—110. om. N — 111. Hercyniove] Hercinio ut (Hercyniove Err.) e

7. — eN — 12. exclamans N — 24. toto e — 27. sidibus N — 29—30. n. m. C. N — 31. Huc] corr. ex Huic N — 39. vel] aut, n. m. vel N — 61. Inde corr. ex Unde N — 64. fuit corr. ex fluit N

8. — eN — 4. dies corr. ex deos N — 15. alia N — 42. tremulus e — acre] atre e — 48. tuos eN — 60. celebrant e — 63—64. om. N — 95. sextercia eN

9. — eN — 9. mutas] multas (mulas Err.) e — 28. vertunt] corr. ex vertunt ubi N — 32. sancti cura supra magnus cultus scr. N — pudoris] honoris N — 34. gregis e — 36. sagum corr. ex sugum (incertum lectu) N — 56. angustom N — 61—62. n. m. C. N — 63—66. om. N — 64. caevus e — 67. Mos] Dos N — 75. placidos eN — 87—90. n. m. C. N — 91—94. om. N — 99. proclivor e — 107. nostro—fenore] solo qui fornore (sic) N — 115. Zinciber eN — cynamomum e, cynomomum N — 122. patet] manet (patet Err.) eN — 123. Terra] Regna N — 124. quam—premunt] que—ferunt N — 125—26. om. N — 125. Piso—scribit] Piso est (est om. Err.) qui docto conscribit e (nos secundum codicem Vind. Lat. 7236. IV. 9r correximus) — 132. cyfis eN — 138. teucunico N — ad 138. n. m. C. De Visco (incertum lectu) N

10. — eN — 13. cyfos eN — 15. falerno N — 17—18. om. N — 17. Draminiano] draminino (draminiano Err.) e — ad 19. n. m. C. legi nequit N — 23. Quamque N — 24. quadrifluvio e — 25. est] is e — 26. partis N — 32. cibos] cibus (cibos Err.) e — 45. adstringat] assstringat N — 49. iubebo] videbo (iubebo Err.) e — 53—54. om. N

11. — eN — 10. raseas N — 25. supra nostroque quid scriptum sit, legi nequit N — 36. Semper enim instabilis hospilis errat amor N — 37. ad pondus n. m. C. fetum N — 45—46. om. N — 50. feriat] capiat N — 61—62. n. m. C. N — 62. Maxima—palet] corr. ex Vasta ubi—manet N — 67—70. om. N — 87. Seperet eN

12. — e — totam elegiam om. N — 6. aereve e — 40. suo] meo (suo Err.) e — 87. mavotius e

13. — eN — ad tit. n. m. C., quae legi nequit N — 4. Aediculum e — 7—10. om. N — 13—14. om. N — 29—36. om. N — 48. matronas] qui castas (matronas Err.) e, legitimas N — 49. Praecipuo eN — 53—54. om. N

— 54. quae] quae (qua *Err.*) e — 59—60. *om.* N — *post* 60. *in fine* Finis Elsulae Noricae seu Danubii vel adolescenciae, qui habet elegias tredecim (duodecim N). Sequitur Rhenu seu Ursula Rhenana vel iuventus eN

Liber III. — eN — *Tit.* Conradi Celtis Protucii Germani (*Germani om.* N) liber amorum tercius, qui Rhenu vel Ursula Rhenana aut iuventus et latus Germaniae occidentale (et—occidentale *n. m.* C. N) inscribitur eN

1. — eN — *Tit.* Odiporicon eN — 12. littora eN — 28. esset] instet (*esset Err.*) eN — 34. fovear] foverer (*fovear Err.*) e, foverar N — 38. Lenior—noster] Hacque meus lenior N — 46. Europae] in toto N — 52. subisset] *corr.* ex teneret N

2. — eNd — *Tit.* ut] et N, ut—deserant *om.* d — 7 ergo] tandem d — 14. canil] canens (*canil Err.*) e — 19. illa] ipsa d — 22. corpia N — 24. est *om.* N — nihil est N — 26. ad duos *n. m.* tuo N — 27. conceptas] crescentes d — 31. mihi ab] mecum in N — 36. supra ut *scr.* et N — flamiis N — 39. ubi] si d — 42. noscat d — 46. subit—suum] eiusque trahit blanda columba rotas d — 48. His] Queis d — 49. patulos eNd — 51. placari carmine] ne tantum carmina N — 52. Placarent, si non aurea dona ferant N — 54. nullum qui sine dote foret N, Diligere ac nullos in sua dona darent (*sic*) d

3. — eNd — *Tit.* eius—conquerens *om.* d — 3. rapido cum] rapidanti d — 4. ab Helvetis d — 8. illa decora] ipsa decore d — 10. perhasis N — 19. Ursula] Femina, C. *corr. n. m.* Vrsula N — 24. flectant N — 25—26. *om.* N — 29—30. *om.* N — 32. Ebulit, ut] Bullit vti d — 35. sic, sic] sic (*sic sic Err.*) e, tua sic N, sic si d — 36. toto corpore] tota pectora d — 40. necis—meae d — 41. Hoc postquam] Hocque dein d — 44. Illum—ut] Sub stygias ut eum miserit d — 47—48. *om.* N — 47. orbe aut] orbe (*orbe aut Err.*) ed — 48. Reflexuque] Reflexique (*Reflexuque Err.*) e — incendere quaeque] quaeque cremare d — 52. dabitur—ei] delur et blando N, foret et blando d — 57. secet N — 59. semper—servus] famulabor pectore semper d — 60. tuo] suo d — 61. Isque] Hicque d — 62. iam] dehinc d — 63. venient] vincent d — 65. sphaeram] stellam N

4. — eN — 9—10. *n. m.* N — 27. cupido] cupida (*cupido Err.*) e — 32. quae eN — 38. supra vagas *scr.* C. suas N — 53. ligabis] rigabis N — 60. infra suos *scr.* C. *verbum, quod legi nequit* N

5. — eN — 6. vehat] trahat N — 8. Exuperans] Exuperat (*exuperans Err.*) e — 13. Cumque pene eN — 20. pipenne N — 27. sancchio N — 51. Eniochusque eN — 53. pluvoso N — 57. erumnas risit amoris N

6. — eNd — *Tit.* Eidem d — 1. totiens] quoties d — 4. totiens] toties d — 8. mihi—dare] dare blanda mihi d — 9. dum stanti] restant d — 15. regerit eNd — 16. ludiciumque N — 22. generat magnum d — 23. crescit—causis] causis persaepe fovetur d — 33. voluptas] voluntas d — 34. volvitur] vertitur d — 38. cernis—illud] nec minus inter d — 42. sua *corr.* ex fuit N — 45. sed nostrae] nostrae igitur d — 54. discas] disces d — 56. ipsa potes] ipse volo N

7. — eN — *Tit.* supelleculi N — 3. Eniochusque N — 4. Enioche eN — 8. Quicquid—et] Et quid hyperboreo N — 9. Quodque N — 29. Cytharea eN — 34. sic] sed N — cadat N — 38. Sarrana] sarranae (*sarrana Err.*) e

8. — eN — *Tit. sacerdotem om. N* — 2. *ignibus—coquis]* obruis amoribus *corr. C. in ignibus igne (sic) coquis N* — 4. *cruentata N* — 11. *An]* Sed, *n. m. An N* — 16. *vestali et e* — 23. *Quid]* sed *N* — 28. *non status]* vel suus *e* — 39. *totum et]* et totum (totum et *Err.*) *e*

9. — eN — 6. *relicta N* — 15. *Sapho eN* — *Hrosuida e, Rosuida N* — 27. *quodam N* — 32. *sateat N* — 36. *agit N* — 39. *pueros—porcos]* puerum nuper quem *N* — ad 39—45. *n. m. C. quae legi nequit N* — 40. Et porcum duplici vertice et ore sali *N* — 41—42. *om. N* — 64. *facta diserta erudienda N* — 66. *Litoreusque—Cancer]* Et cancer ducet clarus *N* — ad ducet *n. m. C. lucet N* — 68. et vernum] vernum (et vernum *Err.*) *e* — 69. *eris e* — 71. *olim]* terra *N*

10. — eNb — *Tit. se—scribit om. b* — 12. *solidas h* — 13. *est om. e* — 13—14. *om. b* — 15—48. *om. N* — 15. *gessit b* — 25. *Laliam]* latina *b* — 28. *divini b* — 34. *arce]* arte *h* — 40. *Divitiasque]* Duitias (*sic*) (divitiasque *Err.*) *e* — 43. *ubi]* ut *b* — 44. *tota b* — 45. *nemo—quod]* nemo quod fieret *b* — 47. *Inque]* Tuque *b* — 57. *Et]* Vel *N* — 58. *pronus]* clarus *N* — 59. *genethiacam e, genethiacam N, generliacam b* — 60. *ephimeridas Nb* — 61. *est om. N* — ulla est *N* — nunc *om. b* — 68. *Evocal]* Et vocat *bh* — *cahos eNb* — 80. *ad dei n. m. C. poli N* — 91. *Hinc lulli b* — 93. *totam e* — *sauciet N* — annum] evum *b* — 96. *fervent b* — 102. *vel om. b* — 109. *discurat b* — 110. *petens]* trahens *h* — 112. *Veneri]* ventri *b* — 113—118. *om. b*

11. — eN — 3. *lumen—terris]* rursus blandissimus oris, *n. m. C. lumen spirabile Solis N* — 4. *Qui prius inferna mole sepultus erat N* — 15. *Ipocraten eN* — *Rasum]* vasm *N* — 40. *occurres e* — 44. *Fiebotomas N* — 48. *canens e* — 50. *Prorogat e* — 58. *vena tumere]* surgere vena *N*

12. — eN — 16. *atra]* antro (*atra Err.*) *e* — 22. *longae e* — 24. *ad tota n. m. solida N* — 25. *Haerebantque]* Herebatque (*herebantque Err.*) *e* — 26. *rudes]* vagas *N* — 29. *Τριελυρίδεν e, trieriden N* — 30. *thelios e, thecios N* — 36. *Ista e* — 42. *larga]* munda, *n. m. larga N* — 49. *cahinno N* — 53. *ad calentia Ditis n. m. C. calentia visa N* — 56. *caeca]* seva *N* — 62. *chelin N* — 64. *maesta]* nostra *N* — 65. *quod N* — 78. *frixi N*

